

DGcl
A

ACTA ET DECRETA

PRIMI

CONCILII PROVINCIALIS BURGENSIS.



ACTA ET DECRETA

PRIMI

CONCILII PROVINCIALIS BURGENSIS,

ANNO MDCCCXCVIII HABITI,

PRÆSIDE

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. Gn. Gregorio Maria Aguirre et Garcia,

ARCHIEPISCOPO.



BURGIS.

APUD POLO, TYPOGRAPHOS.

1898.

+ 53472
C. 1066996

P. 43633

ACTA CONCILII.

INDICTIO

Primi Concilii Provincialis Burgensis.

FRATER GREGORIUS MARIA AGUIRRE ET GARCIA,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS
BURGENSIS,

*Reverendissimis Fratribus Episcopis Suffraganeis,
Venerabilibus Capitulis, aliisque, quarum intersit, Nostrae
Provinciae ecclesiasticis personis, gratiam ac salutem plu-
rimam in Domino.*

Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus, eodem ses-
sionis xxiv capite II, in quo Dioecesanarum Synodorum ce-
lebrationem injungit, volens ut «Provincialia Concilia, sicubi
omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus,
controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus per-
missis, renoventur», praecipit ne quolibet saltem triennio, post
octavam Paschae Resurrectionis, seu alio commodiori tempore,
Metropolitani Provincialem Synodum cogere omittant.

Tridentini statuti de Conciliis Dioecesanis celebrandis uti-
litatem, dum Lucensem Ecclesiam administravimus, experti,
ad Metropolitanam Burgensem, licet immerentes, promoti,
Synodales pro hac Constitutiones edere, eo quod seculo jam
xvi, a Cardinali nempe Pacheco, nunc vigentes conditae
fuerint, animo fixum habemus. Quoniam autem rectus ordo
exigere videtur ut ante dioecesanum, huic quodammodo viam
sternens Provinciale Concilium habeatur, quumque, si pro-
fecto ob eorum vetustatem decreta Synodalia Archidioeceseos
Burgensis hodiernae in plurimis disciplinae non aptantur,
Provincialis quidem Burgensis Concilii, ob specialia, quibus
meritissimi Decessores Nostri praepediti fuere, adjuncta, non
exstat memoria; perlustrata, Deo adjuvante, quod nulli postha-

bendum existimamus, mille et ducentas circiter paroecias habente dioecesi, antequam laboribus Congressus Catholici Nationalis Burgensis anni 1899 praeparatoriis toto pectore debeamus incumbere, et alteram sanctam pastorem visitationem, proximo aestivo tempore, quod maxime nobis in votis est, incipiamus, muneris Nostri archiepiscopalis duximus Provinciale Synodum arcessere.

Proinde, in consilium advocatis sapientissimis nostrae Provinciae in Episcopatu Collegis, videlicet, Victoriensi, Santanderiensi, Legionensi, Palentino, et Oxomensi, necnon Vicario Capitulari Calagurritano, qui omnes libentissimi animi significatione propositum Nostrum exceperunt; venia ac benedictione ab Apostolica Sede impetrata; coelesti ope eo enixioribus implorata precibus quo tanto operi perficiendo magis impares Nostrae sunt vires; ad majorem Dei gloriam:

1. Auctoritate Nostra Metropolitana Provinciale Concilium Burgense edicimus; ejusdem primam solemnem sessionem in Nostra Cathedrali Ecclesia Dominica secunda post Pascha, die nempe vigesima et quarta proxime advenientis Aprilis, habendam decernimus.

2. Reverendissimi Praelati Suffraganei secum ad Concilium adducere possunt prudentes Sacerdotes Sacrae Theologiae aut Juris Canonici scientia praestantes: si quis eorum, quod dolendum foret, personaliter adesse legitime impediretur, procuratorem cum authentico transmissionis facultatis testimonio mittat.

3. Praeter Metropolitanum Nostrum Capitulum, quod ad instar Collegii sessionibus solemnibus conveniet, hujus Provinciae Cathedralia et Collegiaria convocamus, quae duos, prout mos est, aut plures gravitate et ecclesiastica eruditione claros viros, traditis procurationis litteris, ad Synodo assistendum deputare possunt.

4. Caeteros omnes, qui quacumque de causa Concilio

adesse debeant, ut loco ac die statis per semetipsos, ni legitimo impedimento detineantur, coeant, eidemque, usque ad Patrum dimissionem, intersint, sub poenis a Sacris Canonibus latis accersimus.

5. Ne quis eorum, qui Concilio astare vel tenentur vel possunt atque invitandi sunt, ignorantiam praetexat aut se neglectum putet, Litteras has convocationis expediri, ac majori dignitatis Nostrae sigillo munitas et Nostra atque Metropolitanæ Cancellarii subscriptione roboratas, prelo excudi, in periodico folio ecclesiastico hujus dioeceseos provulgari, atque ad valvas Metropolitanæ, Cathedralium et Collegialium Ecclesiarum in universa Nostra Provincia affigi jubemus.

6. Quoniam vero, docente Spiritu Sancto, omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, usque ad Synodi absolutionem, singulis mensibus Missa votiva de *Spiritu Sancto* a Capitulo Metropolitano sollemniter, quoad ejus fieri queat, celebretur: universi in hac archidioecesi Presbyteri collectam de *Spiritu Sancto* in Missis, praeter primae classis dies, addant: omnibus festis de praecepto, parochiali Missa finita, Sacerdos et populus orationem dominicam vernacula lingua semel recitent, ut bene Synodus vertat: religiosae Communitates hymnum *Veni Creator* cum ejus oratione post Sacrum conventuale confectum quotidie dicant: pios denique omnes Nostræ ditioni subditos fideles, ut privatim etiam Nobis a Deo, per intercessionem Sanctorum, qui hanc Provinciam ortu suo, vel claris gestis, vel sacris reliquiis ditaverunt, necessarium auxilium fervide apprecentur, impense exoramus.

7. Dilectissimi comprovinciales Nostri Antistites, pro sua quisque dioecesi, has ipsas sacras preces, aut alias, quae sibi bene videantur, indicent quaesumus, ut Dominus sit in medio Nostrum, qui in nomine Ejus ad animarum bono consulendum congregabimur.

Datum ex Nostris Archiepiscopalibus aedibus Burgensibus,
in die vigesima et quarta Novembris, anni à Nativitate Christi
millesimi octingentesimi nonagesimi septimi.

† FR. GREGORIUS MARIA, *Archiepiscopus Burgensis.*

De mandato Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi:

Lic. Emmanuel Rivas,

Canonicus, Secretarius.



ALLOCUTIO

HABITA AB EXCMO. AC RMO. D. FR. GREGORIO MARIA AGUIRRE ET GARCIA, ARCHIEPISCOPO BURGENSEI, IN SOLEMNI SESSIONE PRIMA.

Neminem vestrum, Fratres colendi, Filii dilectissimi, neminem vestrum fugit, jam inde a sæculo post Nativitatem Christi decimo, apud Burgensem urbem Episcopalem Sedem fuisse constitutam, quæ, Aucensi Episcopatu eidem in perpetuum adjuncto, *Mater Ecclesiarum et caput diœcesis totius Castellæ* ab Alphonso VI Rege jure optimo meruit appellari, et a Christi Vicario Urbano II impetravit ut suus Antistes «manu tantum Romani Pontificis regeretur».

Medio ævo Burgensis Ecclesia cum nec Suffraganea nec Metropolitana esset, nihil sane mirum si Provincialia Concilia celebrata in ea non fuerint. Attamen magna Concilia hic habita fuisse de rebus ad totius regni Ecclesias spectantibus agentia, atque præsule pontificio legato, inscius est nemo; verum hæc, quorum Acta desiderantur, non Provincialia, sed Nationalia fuere.

Gregorius XIII, ob id quod Burgensis Ecclesia omnium Castellæ Veteris esset «antiquissima et nobilissima, et cleri dignitate et numero et diœcesis amplitudine præstaret», illam Metropolitanæ decoravit honore. Philipus V, ut Concilium celebraret, ad Metropolitanum Burgensem orans scripsit; quem quidem de Concilio cogendo sollicitudine affectum esse constat: qua vero de causa Concilium perfectum non fuerit, plane nescio.

Ob oculos tamen versatur, ne culpæ videantur proximi tot omnium luce virtutum clarescentes Archiepiscopi, qui hac in re legem Tridentinam minime implevere, plurima fuisse a Provincialibus edicendis Conciliis revocantia. Socordiæ itaque Decessorum meorum nullatenus adscribendum quod Provin-

ciales Synodos cogere omiserint: obices, quibus illi præpediti sunt, me ipsum etiam detinerent; si autem in adjunctis, quibus ego, versati iidem fuissent, Concilium quoque incunctanter accerserent. Quæ tamen in eventu, si omnino hic per humanum nisum staret, dissimilitudo esset animadvertenda! Humiles quidem viros, egregia dum aggrediuntur facinora, imparilitatem virium verbis amplificare assolet: mearum vero tenuitas sic in propatulo est, ut, etiamsi pulcherrima illa virtute essem insignitus, ab eorum imitatione temperarem. Coram Deo loquor, non ut modestiam jactem et gratiam apud vos ineam: cum aureas micantesque ecclesiasticæ burgensis historiæ paginas pellego, contueorque in eis tot Antistites vel cardenalitia purpura honestatos aut amplissimis civilibus honoribus perfungentes ob ipsorum in Ecclesiam et rempublicam merita clarissima, vel multis magnificisque virtutum titulis conspicuos, vel singulari sapientia summos omnibusque prudentiæ nominibus præcellentes, et meam mecum, Fratrum Minorum minimo, reputo vilitatem, licet inscrutabilia esse judicia Dei non me quidem prætereant, stulta, et infirma, et ignobilia contemptibiliaque eligentis, ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus, sed qui gloriatur in Domino gloriatur, grates eidem ex intimis rependens præcordiis, qui mihi, mihi ne calceamenti quidem eorum corrigiam solvere digno, videre dedit quod illi desiderio desiderarunt et non viderunt; animo cado, me jure demitto, et hoc tantum opus inscitia mea atque ignavia numeris finibusque omnibus absolvendum non esse, ex corde ingemisco et doleo.

Dominus scit quod ipsum tentare censerem, si ad hos adeo supra vires labores sponte mea, et non muneris vi coactus, me accingerem. At vero, Tridentina vicens lex, cujus præceptiva verba usque adeo aperta sunt, ut subdolis interpretationibus nequeant obnubilari; Summorum Pontificum graves acresque monitus; percontatio, cui de hoc argumento in

Sacrorum Liminum visitatione, quarto quoque anno peragenda, satisfaciendum est ab Archiepiscopis; Smi. Dni. N. Leonis XIII vota, cujus ad nutum, quoad penes me erit, omnia facere, si suo numine dexter adfuerit Deus, nihil potius, donec vita suppetat, habebō; aliaque quamplurima quæ recensere longius sermonem produceret, me ad hujus Concilii convocationem adegerunt.

Cumque omnibus susque deque miseranda hac nostra ætate permixtis, Ecclesiæ juribus multipliciter atque impudenter aspernatis, erroribus tæterrimis late diffusis atque in dies grassantibus, transennis ad animas circumveniendas aucupandasque ubicumque terrarum versutissime tentis, et ærumnis etiam manentibus acerbioribus, non utilia tantum, quod usquequaque fuerunt, sed quodammodo necessaria, ut nunc se res habet, Provincialia Concilia communiter existimentur, in quibus, collatis consiliis, viribus junctis, ope superna singulari prorsus ratione firmati, Episcopi cum Metropolitanis se ad instar civitatis munitæ, et columnæ ferreæ, et muri ærei, hamata inimicorum Israel tela retundant, et, singulis invicem cæterorum scientiæ et experienciæ jubare collustratis, detegere prævertereque valeant inferni adversarii insidias, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; qua ratione, quæso, Filii mei charissimi, quos in visceribus Jesu Christi cupio et pro queis libentissime impendam et superimpendar; quonam, inquam, pacto, coram tribunali Dei, qui judicat justitias, extra culpam ponerem quod rationem hanc, cujus momentum penitus inspicitur, animarum vestrarum sanctificationis curandæ, usurpare ignave refugerem?

Saltem, si tantæ molis opus viribus non nisi meis esset explendum, leviozem meam rerer culpam, modo ob earum exiguitatem ab illo supersederem. Ast providentissimus Deus, cui cura est de omnibus, mihi socios dedit, quorum doctrinæ abundantia, ut cum Apostolo gentium loquar, meæ inopiam suppleat, Episcopos nempe Suffraganeos, de quibus, anima et

cor unum mecum dum sint, labii unius omnes nos fore optima de causa mihi quidem polliceor, et Sacerdotes mentis acie et rerum gerendarum sollertia spectatissimos, qui in Synodum tanquam ejus officiales vel a Prælatorum consiliis, vel Capitulorum legati, admissi, eidem scientiæ suæ lumine affulgere, et maximam conferre opem merito in spem vocor.

Sufficientia autem nostra ex Te, Pater luminum, tota est. Hujus Concilii Patres levamus, Domine, oculos nostros in montem Sanctum Tuum, unde veniat auxilium nobis. Tu, mundi Redemptor, dixisti quod ubicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine Tuo, ibi es in medio eorum; et quod si duo ex nobis consenserimus super terram, de omni re, quamcumque petierimus, fiet nobis a Patre Tuo, qui in cœlis est: scrutans corda et renes nosti quod Tua tantum gloria heic intenditur, non quæ nostra, sed quæ Tua sunt quærimus: inspirando prævenisti ut in unum coalesceremus ad hanc vineam Tuam lectam collatis opibus excolendum: adjuvando nunc prosequere, ut inceptum bonum opus, Te auctore, perficiamus. Non relinques nos orphanos; veni ad nos; dona nobis assistricem sapientiam; Spiritum emitte veritatis, qui doceat nos, et suggerat nobis, et mansionem apud nos faciat, ut quæ nobis placeant, Illi insimul videantur; sicque gaudeat cor nostrum, exultans in Tui nominis gloria, et eundem nunquam contristando, gaudium nostrum sit plenum per sæcula sæculorum.



ALLOCUTIO

IN PRIMO CONCILIO PROVINCIALI BURGENSE AB ILLMO. AC RMO. D.
D. HENRICO ALMARAZ ET SANTOS, EPISCOPO PALENTINO, HABITA.

VENERABILES FRATRES:

Arduum opus Nobis in hac secunda primi Concilii Provincialis sessione solemniter commissum est: aliqua, nempe, salutaria verba coram Venerabilibus Episcopis Provinciæ ecclesiasticæ Burgensis, præstantiumque sacerdotum adstante cœtu, facere, quæ ad majorem Dei gloriam animarumque salutem, atque ad Sanctæ Matris Ecclesiæ decus, præcipue conferant. Magnam, equidem, rem aggredimur; loquendum enim est «*Speculatoribus domus Israel* (1), *Pascentibus gregem Domini* (2): illis, inquam, qui *lux mundi et sal terræ* (3) ab ipso Domino nuncupantur: illis, qui talia opera agere debent, ut *videant omnes et glorificent Patrem, qui in cœlis est* (4): illis, qui *in sortem Dominicam fuere vocati* (5) *et pro hominibus constituti in iis quæ sunt ad Deum, ut offerant dona et sacrificia pro peccatis populorum*» (6).

Attamen, hæc est Dei voluntas, per meritissimum nostrum Metropolitanam ostensa: ad hoc quoque *Spiritus Sanctus* me (quamvis indignum) *Episcopum posuit in Ecclesia Sancta Dei* (7), ut clerum et populum regam ac dirigam verbo scilicet et exemplo; quapropter non meis viribus, sed Jesu Christi Domini nostri potentissimo fretus auxilio, qui discipulis suis agebat: *Confidite, ego vici mundum....* (8); hoc, ergo, summo præsidio, cœlestique adjutorii fiducia, jam magni momenti rem, argumentumque maximæ utilitatis ad fidelium salutem, bene-

(1) Jerem. c. vi, v. 17. = Ezech. c. xxxiii, v. 2, 6, 7. = (2) Ezech. c. xxxiv, v. 23. = I. Petr. c. v, v. 2. = (3) Matth. c. v, v. 13, 14. = (4) Matth. c. v, v. 16. = (5) Act. Apost. c. 1, v. 17. = Trident., ses. xxii, c. 1 de reform. = (6) Ad Hebr. c. v, v. 1. = (7) Act. Apost. c. xx, v. 23. = (8) Ev. S. Joan. c. xvi, v. 33.

volæ attentioni vestræ aperte proponam, ac paucis absolvam. Orationis seu allocutionis scopus hujus erit: *De populo christiano ad Sacramentorum frequentiam a sacerdotibus adducendo.*

I.

Probe nostis, Venerabiles Fratres, totam vitam spiritalem, totamque virtutem et animæ decorem, homini per efficaciam inesse gratiæ Sacramentorum. Ad hoc, enim, instituta a Salvatore, Domino nostro Jesu Christo, fuerunt: ad hoc *sanguinem suum præciosum fudit, ut genus humanum a servitute diaboli redimeret* (1); omnisque illius mirifici mysterii Redemptionis seu Reparationis nostræ œconomia hac duplici et evidenti propositione declarari potest: «Gratia Jesu Christi Domini nostri elevatus est homo ad illum pristinum statum supernaturalem, quo primi parentes in Paradiso fruebantur: Jesu Christi gratia per Sacramentorum virtutem hominibus communicatur, ut vitam supernaturalem primum, et dein vitam ipsam æternam consequi valeant». En, igitur, Venerabiles Fratres, sublimissimum officium nostrum: prædicandi, nempe, et docendi quæ populo christiano omnino necessaria sunt ad salutem: en onus humeris nostris impositum, quodque veluti sacram militiam importat, cum vere dimicandum et bellandum sit adversus inimicos Ecclesiæ, et ordinis supernaturalis hostes: en, denique, quomodo necessitas urgeat laboris et ministerii nostri, ut Passionis fructus et infinita Christi merita per sacramenta rite applicentur. Rivuli, siquidem, abundantissimi Fontis gratiarum, fertilissimum Ecclesiæ universæ campum irrigant; sed ¡proh dolor! non perpauci sunt qui ad ipsum Fontem, Cor Jesu, remeant, quin fidelium animabus, suo sanguine redemptis, vitam dederint, aut eas irrorarent, ut florescerent;

(1) Ps. cxxxix, v. 8. = Ephes. c. 1, v. 7. = Colos. c. 1, v. 14. = I. Petr. c. 1, v. 18, 19. = Apocal. c. v, v. 9.

sicque multæ, languentes, peccati morte moriantur, et in æternam ruinam miserabiliter prolabantur.

Memoramini, itaque, quæso, Venerabiles Fratres, illius nempe maximi doni nobis collati in ipsa die Resurrectionis Salvatoris nostri Jesu, qui, cœnaculi fenestris clausis et januis, in medio discipulorum suorum, quorum successores sumus, apparuit et dixit: *Pax vobis*;... et iterum dixit: *Pax vobis: sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. His dictis, insufflavit et adjunxit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (1). Tota, ideo, profectio, totus fructus animarum in hoc certe ponitur: in reconciliatione hominis cum Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, ejus nos ministri sumus.

Et re quidem vera, quis vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, nos habere Deificam potestatem juxta illa verba: *Quis potest remittere peccata nisi solus Deus?* (2). Hac igitur de causa Divus Paulus ad Corinthios per epistolam scribens, asserit: *Dedit nobis Deus ministerium reconciliationis*; et alibi: *Posuit in nobis verbum reconciliationis* (3). Constat ex Sanctis Patribus, ex scriptoribus ecclesiasticis et ex firma praxi, Ecclesiam catholicam, a Spiritu Sancto edoctam, semper docuisse utilitatem frequentis confessionis fideli populo inculcari a sacerdotibus debere; nam, ut in Catechismo Romano legitur, *nulla res fidelibus tam proficua est, quam ut sæpius per Sacramentum Pœnitentiæ animæ sordes purgent* (4). *Pigeat sane peccare rursus; sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari; sed non iterum liberari*. Sic magnus ille Tertullianus.

Undenam, a vobis quæro, undenam tot peccata, tot crimina, tepor aut absentia fidei, spei et charitatis frigiditas seu

(1) Ev. S. Joan. c. xx. v. 19, 21, 22, 23. = (2) Exod. c. xxxiv. v. 7. = Luc. c. v, v. 21. = (3) II. ad Corinth. c. v, v. 18, 19. = (4) Part. II, c. v.

oblivio, corruptio morum, familiæ et societatis perturbatio et confusio? Quare, et Dei justitiam et misericordiam homines despiciunt, atque æternæ vitæ præmia et pœnas parvipendunt? Undenam deordinati affectus rerum temporalium, et cœlestium neglectio, auctoritatis cujusvis generis contemptus, eversio denique tum naturalis tum supernaturalis ordinis? Undenam legis Domini et legum ecclesiasticarum infractio? Ah! Sapientia infinita nos hoc docuit: hæc omnia mala ex pravo corde procedunt, ex malo corde exeunt (1). Cor, igitur, hominis sanandum, ut non pereat societas, et ut fidelis populus salutem consequatur; ast tantum catholica nostra Religio hujusmodi magnam multiplicemque virtutem, a Christo inditam, habet, ad corda hominum sananda, atque ad illa dirigenda per viam salutis et pacis, interque opportuna illius media salutaria primum et præcipuum locum obtinet nostrum reconciliationis seu Pœnitentiæ Sacramentum. In hoc namque spirituali lavacro, vel pharmaco, homo peccator cor suum aperit et animam ostendit homini Dei, sacerdoti, inquam, qui vices Ejus in terris agens, jura divina sustinet et propugnat: hic sacerdos, medicus, remedia congruentia infirmitatibus adaptat: hic sacerdos, magister, unicam et plenam veritatem docet: hic sacerdos, pater, filios spirituales generat, ut vitam æternam adipiscantur; et homo, contritus et confessus, illa vobis familiaria verba repetit: *hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas*. Ex his sequitur quod sacerdos, divina auctoritate fretus, in sancto Pœnitentiæ tribunali passiones et affectiones pravas reprimit, auctoritatem obfirmat, disciplinam christianam suadet, pietatem et religionem fovet, virtutum omnium excellentiam docet, vitæ christianæ pacem et tranquillitatem animis infundit. Nihil, igitur, mirum, si animarum nostrarum æternus inimicus mirabiles effectus, ex hoc Sacramento fluentes, destruere non

(1) Matth. c. xv, v. 18, 19.

valeat, juxta illud Sti. Patris Gregorii Magni: *Quid est peccatorum confessio, nisi vulnerum ruptio? Diabolus virtute confessionis pertractus ad lucem, et traductus et dehonestatus, discedit* (1). Hic, ergo, concludendum, hic est ille fons, de quo in Zacharia propheta scribitur: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris* (2): hi sunt illarum aquarum fontes de quibus in Apocalypsi legitur: *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum* (3), quique deducti vere dici possunt beati, sicut in ipsomet libro: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni* (4).

II.

Sed ad majora et sublimiora ministerium nostrum et sacerdotale munus quidem extenditur. Deo reconciliamus animas, gratiamque divinam in eas infundimus, formam Sacramenti Dei ipsius nomine et auctoritate pronuntiando: *Ego te absolvo a peccatis tuis* (5). Nunc vero: justorum animæ Deo uniri, vitamque supernaturalem agere debent, ad sacram mensam accedendo. De mirabili, ergo, Eucharistiæ Sacramento sermo noster est: de Christi amoris pignore, de flamma divinæ charitatis, deque fine quem sibi proposuit Redemptor noster in hoc sacratissimo convivio instituendo. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (6), Apostolis suis ajebat ipsa institutionis nocte. Et: *sic orabitur:..... Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (7): quæ laudata verba, juxta SS. Patrum et spiritualis Magistræ, Stæ. Teresiæ, interpretationem, non nisi ad panem supersubstantialem, Eucharistiam videlicet, referuntur. Recte de hac mensa cœlesti illa etiam Proverbiorum verba intelligi debent: *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui*

(1) Moral. = (2) Zachar. c. XIII, v. 1. = (3) Apocal. c. VII, v. 17. = (4) Apocal. c. XXII, v. 14. = (5) Ritual. Rom. = (6) Luc. c. XXII, v. 15. = (7) Luc. c. XI, v. 3.

vobis (1). Verumtamen ¡proh dolor! charissimi Fratres, hoc flagrantissimum Christi desiderium fere penitus evanuit, cum mensa Domini deseratur, et ad peccatorum convivia homines confugiant. Nostris oculis in hac tristissima rerum tempestate perspeximus quamplurimas animas, escis carnalibus et pravis desideriis saturatas, fame et siti vitæ æternæ perire; nostrum, igitur, erit illis veram carnem et sanguinem Christi offerre, quæ, si devotissime frequenterque sumantur, universa facies terræ protinus renovabitur. ¿Nonne vere dicendum abundare homines, palatum habentes infectum humore terreno, alliis hujus sæculi, cepis videlicet Ægypti? Comedunt, et bibunt, et lætantur; sed eos postmodum consequitur fames et sitis æterna, ita ut, sicut dives in inferno, obstringantur aquæ guttam petere, quin unquam possint obtinere. Aquam, utique, petit innocens puer, pravis exemplis a teneris unguibus abstractus et illectus: aquam petit adolescens, doctrinis et disciplinis reprobis imbutus, cum efformatum fuerit cor illius in ephemeride, in libris, in sermonibus, in scholis, in scientiis, in artibus sceleratis, in tot tantisque periculis et incitamentis, quæ hodierna societas undique monstrat: aquam petit paterfamilias, officii sui oblitus, sponsam et filios deserens, vitam agens in cœtibus damnatis, gravissimumque detrimentum asserens et domesticæ et ipsi civili societati: aquam petit familiæ mater, olim ad normam Mariæ, Jesu Matris, instructa, nunc autem multoties luxui et vanitati tradita: aquam, denique, petit hic mundus, ut *in propria* veniat Christus, *et sui Eum* recipiant, et omnes *gloriam Ejus* videant, *gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (2).

Nihil mirum, si hisce nostris diebus rerum spiritualium et cœlestium scientia contemnatur. ¿Mensa Domini vacua est?.. Ergo absunt gratiæ, decrescunt vires, hostes vincunt, jura

(1) Proverb. c. ix, v. 5. = (2) Joan. c. i, v. 11, 14.

Religionis conculcantur, et, a Deo recedentibus hominibus, Deus invicem eos deserit, atque in omnium iniquitatum barathrum labuntur. Propheta Rex, David, sic hujusmodi animarum statum miserabilem depingit: *Escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis* (1): vel illud ipsius Psaltæ: *Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (2). Ad nos, proinde, Venerabiles Sacerdotes, ad nos spectat, officii nostri causa, laudes prædicare augustissimi Eucharistiæ Sacramenti, ejusque cœlestem virtutem et efficaciam, famis et sitis satiandæ, ab ipsomet Christo collatam. Nam quid aliud significare illud potest: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ?* (3). Quod, inquam, nisi hoc sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur? (4). Quisnam mons descriptus, nisi Ecclesia Catholica per totum terrarum orbem diffusa, in qua cibi laudatissimi, vinumque purissimum gustandum, præciosissimum etiam ferculum ex Christi corpore et sanguine coagmentatum, omnibus præbentur? Hic manducatur *panis vitæ*, hic *sal sapientiæ*, hic *favus et mel* suavitatis internæ, hic *agnus assatus* charitatis igne, hic *oleum pingue et manna cæleste*; hic bibitur *aqua saliens in vitam æternam*; hic bibitur *vinum amoris purissimi de cellariis Sponsi*, lac quoque nitidissimum, *de uberibus Sponsæ* profusum (5).

Porro necessarium modo duximus illa Concilii Tridentini crebro adducta verba in mentem revocare: *Optaret quidem*

(1) Ps. cvi, v. 18. = (2) Ps. ci, v. 5. = (3) Isai. c. xxv, 6. = (4) Antif. ad Magnif. in sec. vesp. Corp. Christi. = (5) Joan. c. vi, v. 35. = Ps. xviii, v. 11. = Exod. c. xii, v. 3, 8, 9. = Joel. c. ii, v. 24. = Ps. lxxvii, v. 24. = Apocal. c. ii, v. 17. = Joan. c. iv, v. 14. = Cant. c. i, v. 3, 12.

sacrosancta Synodus ut in sigulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberius proveniret (1); et hanc pariter Sancti Evangelii phrasim magno cum gaudio et delectatione usurpare: *Parata sunt omnia* (2). Vocemus, ergo, populum christianum et compellamus ad cœnam Domini, cum vere parata sint omnia in Sancta Ecclesia Catholica. Vocabantur etiam Veteris Legis justis; sed nondum erat Agnus occissus, nondum cœli janua aperta, nec Christi merita et gratia ministrari poterant ab Aaronitis sacerdotibus hebraici populi. Nos, vero, Christi mediatores et sacerdotes, verum Agnum immolamus, et vices ipsius Christi gerentes, illud prædicamus: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (3).

Quibus autem argumentis, quibusve artibus et mediis utemur, ut fidelis populus stimuletur ad vitam, pacem et requiem veram consequendam in frequentatione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti...? Zelus magnopere et maxime in nobis desiderandus: zelus gloriæ Dei salutisque animarum, qui *comedat nos et urgeat nos* (4), ad Christi regnum in terris firmiter stabiliendum. Quandonam, utique, verius, sicut hodierna die, minister Christi illa repetere valet: *Filii hominum, usquequo gravi corde? et ut quid queritis mendacium?* (5). Et hæc aut alia similia ejusdam pientissimi viri: «Res caducas, fallaces, pereuntes, cur adamatis præ æternis, solidis et veris bonis? Vocat mundus ad labores et dolores, ad cibum et fructus amaros comedendos, post quorum comestionem nihil nisi stupor manet dentium et inanitas ventris, remorsus scilicet

(1) Trident. ses. xxii, c. 6. = (2) Matth. c. xxii, v. 4. = (3) Luc. c. xxii, v. 29, 30. = (4) Ps. lxxviii, v. 10. = Corinth. c. v, v. 14. = (5) Ps. iv, v. 3.

conscientiæ et mens insatiata; et nihilominus mundum plerique sequuntur, et frequenter ab eo decepti, ab ejus sequela non divelluntur. Vocat dæmon ad pœnas et infernum... aurem ei pedesque multi offerunt, sequuntur et obsequuntur. Vocat caro ad turpia et immunda, ad fœtida et cadaverosa...; illi acquiescitur, et cibis ejus, fœtorem exhalantibus, multi vescuntur. Vocat, vero, Christus, vocat Ecclesia, vocant ejus Ministri, Dei sacerdotes, cibum offerunt lautum et pretiosum, ad cœnam felicitatis æternæ invitant et vocant...; et voces eorum non agnoscuntur, aut cognitæ, contemnuntur et misere negliguntur. Convivia dæmonis et mundi, convivia carnis et concupiscentiæ non satiant, quinimo fastidium generant et nauseam; convivium vero Christi, a nobis et prædicatum et præstitum, in satietate non habet satietatem. Illa convivia carnalia sunt et terrena, quæ unum aut alterum diem perdurant; nostrum vero non habet finem: in terris incipit, et in cœlo consummatur, sicut ait B. Apostulus Joannes: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*» (1). Unam tantum micam panis, unicam stillam vini cœlestis gustavit Apostolorum princeps, Petrus, et in monte Thabor sic prorupit: *Domine, bonum est nos hic esse* (2). Amoris Sacramenti sancta Teresia sic æstuabat ardore, ut in Patria potius quam in mundo vitam agere videretur. Salutarem mensam dum S. Isidorus Matritensis frequentaret, et Missæ sacrificio intentus esset, Angeli visi sunt animalia cum aratro ducere et ejus famulatum supplere. ¿Cur, ergo, hæc et similia non a nobis populo fideli exprimenda erunt, ut ad veram vitam et omnium virtutum exercitium sese vertat? ¿Cur in concionibus et S. Evangelii expositione non a nobis efficaciter commendandæ piæ ac devotæ confraternitates, tum Sacratissimi Cordis Jesu et Apostolatus Orationis, tum Familiæ Sacræ, tum Sanctissimi

(1) Apocal. c. xix, v. 9. = (2) Matth. c. xvii, v. 4.

Rosarii, tum Mariæ et S. Teresiæ Puellarum, tum denique Tertiariæ Ordines Sanctorum Francisci et Dominici, vel aliæ, quæ ab Ecclesia indulgentiis et gratiis et privilegiis sunt ornatae atque ditatae, quæque communionem frequentem in suis constitutionibus injungunt...?

¡Faxit Deus ut populi scientes ac probe intelligentes ubi est *vera vita, ubi vera sunt gaudia* (1), resipiscant *cisternasque* hujus sæculi *dissipatas, quæ continere non valent aquas* (2), derelinquant et effugiant; atque ad Dominum nostrum Jesum Christum, *fontem aquæ vivæ*, convertantur et mundo corde accedant!

Hoc solummodo adepto, pro satis quidem digno hujus primi Concilii Provincialis exitu haberi possit: nosque, optime de Ecclesia meriti, gratulationem a cunctis recipemus, et, quod pluris est, benedictionem a Domino pro omnibus curis ac sollicitudinibus nostris acciperemus, tamquam pignus æternæ mercedis seu coronæ justitiæ, nobis promissæ. Amen.



(1) Joan. c. XII, v. 6. — Orat. Dom. IV p. Pasch. = (2) Jerem. c. II, v. 13.

ALLOCUTIO

HABITA IN TERTIA ET POSTREMA SESSIONE PRIMI CONCILII PROVINCIALIS
BURGENSIS AB ILLMO. AC RVMO. D. DOCTORE D. JOSEPH MARIA
GARCIA ESCUDERO ET UBAGO, EPISCOPO OXOMENSI.

Cum pro obeundo munere a dignissimo Archiepiscopo nostro et Præsule clarissimo, qui magnopere et felicissimo eventu in hoc præstantissimo opere primi Concilii provincialis Burgensis laboravit, mihi commisso et libenti animo suscepto, sim dicturus, in hac tertia Synodi sessione et coram Vobis, Reverendissimi Patres, Fratres honoratissimi, non sine timore et tremore hoc præstabo. Res enim magni momenti est, cui quidem vires meæ impares assistunt. De verbo Dei a Sacerdotibus frequenter et fructuose prædicando sum pertracturus, et qua possim brevitate et claritate de eodem agam, suppliciter in primis exorans superna Dei gratiæ auxilia sub protectione validissima Ejus Immaculatæ Matris Mariæ, necnon vestram indulgentiam, ne altitudo et sublimitas rei explanandæ propter insufficientiam meam detrimentum patiatur. Ad rem, igitur, accedam.

Christus Jesus, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, in hunc mundum venit ut homines vitam habeant et abundantius habeant. Prout bonus Pastor, oves suas noscit easque pascit, non tantum corpore et sanguine suo, sed etiam doctrina et verbo, quod de Ipsius ore procedit. Ipse est enim via, veritas et vita cordis animæque, et etiam lux vera quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, ita ut qui sequitur Eum non ambulet in tenebris, sed lumen vitæ habeat. In quo maxime nitent sapientia et bonitas divina, quæ omnia ad salutem nostram suaviter disponunt. Sed cum in cœlos esset ascensurus, missione sua in terris expleta, ut eam prosequeretur usque ad sæculorum consummationem, instituit Ecclesiam, in qua idonea salutis

media fideles haberent, segregavitque ex discipulis suis duodecim Apostolos, quibus dixit: «Euntes docete omnes gentes, prædicate Evangelium omni creaturæ». Hoc munus fuit primum ab Apostolis susceptum, prædicationis nempe. Baptizare insuper tenebantur aliaque ministeria exercere; sed in primis prædicare præcipiuntur, quia «fides, ut loquitur Apostolus, ex auditu, auditus autem per verbum Christi», et prosequitur: «Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?» (Ad Rom. 10).

Ex quibus luculentissime infertur necessitas verbi Dei annuntiandi, simulque patet divina prædicationis institutio; nam Christus Jesus Apostolis suis eorumque successoribus omnibusque ipsorum vices gerentibus hoc primum præcepit, ut Evangelium suum annuntiarent, populos erudirent ac docerent veritatem. Prædicare igitur tenemur Episcopi et prædicare debent Sacerdotes, quia Deus veritatis, qui in lege veteri multifariam multisque modis locutus est per Profetas, et in nova per Filium suum ac deinde per Apostolos, loquitur etiam per eos quibus Ecclesiæ Auctoritas hoc ministerium committit, per Sacerdotes, scilicet; et qui eos audit, Deum audit; qui vero eos spernit, Deum spernit.

Est verbum Dei increatum, Verbum divinum, Sapientia æterna, infinita; et verbum Dei creatum, de quo agitur nunc, verbum per quod intelligitur quidquid Deus dixit, verbum quod proficiscitur de ore Dei, sive immediate quum Ipse per se loquitur, sive mediate quum loquitur per ministros suos. Et ita Divus Paulus: «Sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur», quod minime concionatores oblivisci debent. «Pro Christo enim legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos» (2 Corint. 5); et veritas apertissima est, testimonio Sacrarum Scripturarum et Sanctorum Patrum suffulta, verbum hoc quod a Ministris evangelicis prædicatur, esse verbum Dei, cui sunt conjuncta bona quæ ipse Deus suo verbo tribuit, ubi

recipitur eo modo quo recipiendum est verbum Dei, quod Jesus Christus testatur dicens (Math. 30): «Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis».

Fidelibus necesse est audire verbum Dei, quia est cibus mentis, sicut ait Sanctus Gregorius; «et beati sunt, ex divina sententia, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud». Præterea finis verbi Dei est eversio peccati, conversio peccatoris, destructio erroris, cognitio veritatis, gloria divini nominis, sanctificatio electorum, incrementum regni Christi. Et sane verbum istud mentem erudit et illustrat, cor autem purificat et sanat, inflammat et ad bonum movet. Quid enim in societate, in nationibus, in populis et in singulis hominibus eveniret absque verbi Dei prædicatione, cujus virtutem et efficaciam ipsemet Deus commendat illis verbis: «Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum»? Ex quibus etiam facillime deprehenditur necessitas audiendi, ideoque prædicandi verbum Dei, cujus ministerium utilissimum est ad salutem animarum, et ardentissimo zelo exerceri debet a Sacerdotibus, quibus dictum est: «Ecce ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat». Res igitur clarissima est sicut meridiana lux, uberrimos salutaesque gratiæ, sanctificationis, virtutis, pœnitentiæ et vitæ æternæ fructus per Dei verbi prædicationem obtineri.

Sed prædicandi obligatio præcipue inest Parochis cæterisque omnibus qui curam gerunt animarum, non tantum ex charitate, sed etiam ex justitia; saltem diebus dominicis et festis solemnibus Parochus tenetur verbum salutis ad populum habere. Sic a Sacrosancta Tridentina Synodo sancitum est sessione 5^a, cap. 2^o, his verbis: «Quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus ver-

bis». Hujuscemodī obligationem adimplere tenentur Parochi jure divino, prout eadem Sacrosancta Synodus tradit capite 4^o sessionis 23^{ae}: «Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione... pascere».

Sicut permagnæ quamplurimæque sunt obligationes et præclarissima munera parochialis ministerii, ita etiam inefabile solatium, maxima spiritualis lætitia, singulariaque merita habentur apud Deum ab his qui rite et sancte illud exercent. Quod maxime evenit in verbi divini prædicatione, quin ab ipsa Parochi sese eximere præsumant eo quod ab aliis prædecessoribus suis peragi solitum non fuerit, vel quia aliquo modo fuerit provisum per annuales publicos concionatores, vel innixi in parochianorum exiguo numero; nam excusationes enūtiatæ nullius roboris sunt, minime convincunt et rejiciendæ prout rejiciuntur a Sacra Concilii Congregatione, quæ hoc declaravit; et communis sententia est, graviter peccare Parochos hanc omittentes obligationem sive per unum continuum mensem sive per tres non continuos. Hujus obligationis adimpletio non ita difficilis evadit, ut pluribus videtur; nam, sicuti constat ex Sacræ Congregationis responso ad Episcopum Meliten., «opus non est ut prædicatio sit elaborata et perpolitata, sed satis est ut Parochi plebes sibi commissas sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis».

Jesus Christus, Magister sapientissimus, non sine parabolis loquebatur; et si quæritur ratio qua modicus percipiatur fructus verbi Dei cum sit adeo potens, curiositas in audientibus et in concionatoribus vanitas, quæ illam fovet, aliquibus in casibus assignari potest.

Eo ipsomet quo Prædicatoris officium præstantissimum est, qui eum exercet oratione et studio parari necesse est, ut sit lux mundi et sal terræ; doceat exemplis et doctrina, «ar-

deat ipse ut cæteros accendere possit; accedat prædicationi sanctitas vitæ, quæ inseparabilis comes illius esse debet, ut fructuosa sit, dicente Apostolo: *si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens* (1^a Corint. xii). In concionatoribus præcipue adimpleri debent verba Christi: «sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est».

Væ, igitur, illis concionatoribus adulterantibus, juxta ipsum Apostolum, verbum Dei, quia seipsos et non Christum prædicant, quærant gloriam suam et non Dei. Audiant ipsi Divum Bernardum dicentem: «Verbum Dei non est sonans, sed penetrans, non loquax sed efficax, non obstrepens auribus, sed effectibus blandiens» (Serm. 30 super cant.). Quod etiam confirmat Sanctus Gregorius Magnus ita se habens: «Cum imperio docetur, quod prius agitur quam dicatur» (Lib. iii Moral. cas. 44). Et mirum non est Sanctos Patres in hoc sensu esse locutos, cum in ipso Evangelio dicatur: «Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum».

Qui vero ita peragunt, quantum Deo placent et fidelibus prosunt et sibimetipsis benefaciunt! Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Si in prædicatione exercenda labor est et difficultas, etiam meritum; et pro merito erit præmium et merces magna nimis. Qui seminant in lacrimis, in exultatione metent, et quemadmodum Apostoli «euntes ibant et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos», ita etiam prædicator, qui in cordibus fidelium sancte ac devote seminat verbum Dei cum intentione Deo placendi, fructus et manipulos sanctitatis in anima sua portabit, et in suæ mortis hora audiet a Christo sibi dicente: «Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui».

Quod ferventissime vobis desidero, Reverendissimi Patres et Fratres veneratissimi, et a Domino humiliter precor, ad majorem gloriam Dei, cui laus, honor et gratiarum actiones, præsertim propter nobis ab Ipso collatas in hac sancta Synodo, sint per sæcula sæculorum.



ALLOCUTIO

EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI METROPOLITANI
IN FINE CONCILII.

Collectis in unum apud Jerusalem Apostolis, quum ea, quæ synodaliter decreverunt, Christi fidelibus nota facerent, hi, refert Scriptura, «gavisi sunt super consolatione». Jucunditatis etiam causam Concilium Burgense hujus Provinciæ catholicis esse futurum in Domino confido, et propter hoc cor meum gaudet atque exultat.

Lex Tridentina, Fratres spectabiles, nos ad Provinciale Concilium celebrandum cogit: nunc ergo obligationi nostræ fecimus satis. Quid itaque mirum si in Domino gaudemus tanquam ii quibus ipse munus implere concessit? Christi Vicarius de Synodis Provincialibus agens, «vel maxime in hoc turbulento et ærumnoso rerum humanarum cursu apprime necessariis», eas commendat cogique magnopere vult; quo possemus pacto maxima non affici lætitia ubi datum nobis est amantissimi Patris, cujus ad nutum præsto sumus, voluntati obsequi, eique in captivitate sub potestate hostili constituto, solaminis ergo, hujus Concilii benedictione sua auspiciati constitutiones offerre, in quibus reverentiam nostram dimississimam erga Petri Cathedram testatam volumus, et ipsiusmet sapientissimi Pontificis aureis doctrinis et verbis pluries usi sumus, necnon salutaria prudentissimaque monita præ oculis habere curavimus? Si quid minus aut veritati, aut justitiæ, aut prudentiæ consonum in constitutionibus hic lectis scriptum fuerit, Apostolica Sedes, cui acta et decreta, prout tenemur, subjicimus, pro suprema sua auctoritate, quam ex corde diligimus ac reveremur, immutabit, corriget, aut delebit.

Utique, Fratres venerandi, parum foret providas condidisse leges et salutaria impertiri consilia, si nihil amplius ad muneris nostri partes spectare censuerimus. Quid namque

referret bonum in agro semen seminasse, si, dormientibus nobis, veniret inimicus homo et superseminaverit zizania? Si, post Concilii absolutionem, vineam nobis a Deo electam colere pergimus, ita ut nihil debeamus ultra facere quod non fecerimus ei, metuendum nobis non est, Deo adjuvante, ne, dum uvas expectamus, faciat labruscas; et qui nunc mittimus semina, venientes veniemus cum exultatiene portantes manipulos nostros, atque in tempore suo metemus non deficientes.

Sub Templi hujus Metropolitanis fornicibus, quod tanquam artis portentum exteri veniunt mirari, canticum *Te Deum* et festivæ acclamationes ob fortunatum Provincialis Concilii Burgensis exitum personabunt. ¡Beata, beata lux, qua visum est ad finem, quod sanctissimorum Antistitum fuerat in votis, perducí!

Pro hujusmodi gloriabor, inquam cum Apostolo; pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis: plane scio tantæ molis et momenti opus muneris omnibus absolutum atque ad apicem perventum iri, modo quilibet alius Episcopus Ecclesiæ Burgensis gubernaculum teneret: meum tantummodo agnosco quidquid imperfectionis, pro humana imbecillitate, Concilii decretis fuerit admixtum.

Soli Deo honor et gloria, qui medium nostrum stetit, intellectus illuminando et voluntates movendo, ut, animo concordí, atque in sancta charitate, quæ illi placita erant et nobis placerent, labores, vigilias, operaque nostra, qualiacumque fuerint, in Ejus solummodo gloriam dirigendo.

Vobis, Concilii Patres, vobis etiam gratiarum actio: votis meis de Concilio celebrando annuistis libentissime: Ecclesias domusque vestras reliquistis longum iter suscepturi; vires omnes in synodalibus laboribus impendistis, nulli molestiæ parcendo; omni virtutum genere me quidem ædificastis; et non semel animo subiit illud Psalmistæ: «Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum». Gaudio de Syn-

odo finita dolor miscetur ob proximam vestram profectionem: mox in osculo pacis ad invicem digrediemur; at vestra in me charitas e memoria nunquam excidet: dilectio mea comitem se vobis semper exhibebit; dabo etiam operam et frequenter habere vos in Sacrificio quotidiano atque in indignis orationibus meis. Faxit Deus, Fratres colendissimi, faxit Deus ut quod in sudore vultus vestri hic seminavistis, in exultatione postea metatis.

Accipite et vos, Sacerdotes ornatissimi, qui in laboribus Synodalibus præsto fuistis nobis, grates, quas pectore toto vobis refero: Filii nostri charissimi et desideratissimi, gaudium nostrum et corona nostra, gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Nec verbis exprimere nec factis rependere valeo, vicem meritis reddendo, quod vestra scientia prudentiaque ad felicem Synodi exitum contulerunt: ecce autem merces vestra multa est in cælo: Dominus ipse, pro cuius amore tanquam boni operarii laborastis, præmium vestrum erit, et scitis quoniam merces Dei manet in æternum.

Gratias etiam vobis, perillustres cives, queis omnium Dominus politicam, civilem, militarem, judicialem aut litterariam auctoritatem tradidit, quique publicis nostrorum consensuum actibus adstando, eos honorastis, fidem vestram palam confessi estis, novumque, invitationi meæ obsecundando, reverentiæ erga dignitatem Episcopalem specimen dedistis.

Gratiis uberrimis Dominus vos ditet; et benedicat fideles omnes hic congregatos cæterosque nostri ditionis qui in spiritu nobiscum adfuere.

Grati animi testimonium volens exhibere, supplices litteras ad Vicarium Christi, regni cælorum clavigerum, et thesaurorum Ecclesiæ dispensatorem misi, ut benedictionem Apostolicam populo huic religiosissimo dignaretur impertire: precibus meis benignissime indulisit Sanctissimus Pater ac Dominus Noster, ut notum mihi fuit redditum per telegramma, quod grate

admodum exceptum ea qua par est veneratione pellegere mihi quidem erit jucundius. «Illustrissimo Archiepiscopo Burgensi. Devotionis ac filialis amoris sensa deprompta nomine Patrum Concilii provincialis Burgensis peraccepta habuit Beatissimus Pater, qui ideo tibi singulisque Episcopis una tecum adjunctis et universis qui in cœtu aderunt, munerum divinorum ubertatem adprecatur et Apostolicam benedictionem, benevolentiae suæ testem, peramantissime in Domino impertitur. — M. CARDINALIS RAMPOLLA ».

Pastoris universalis benedictio, cui ligandi atque solvendi plena tradita fuit a Christo potestas, pignus, filii mei, sit vobis æternæ hereditatis, quam repromisit Deus diligentibus se. Propter vestram salutem coactum fuit Concilium Burgense; ne cedant in irritum atque incanum suscepti labores. Digne ambulate vocatione qua vocati estis: voluntatem Dei facite, quæ est sanctificatio vestra; peccatis mortui, justitiæ vivite: cum metu et tremore salutem vestram operamini; diligite invicem; obedite præpositis vestris; pastorum animarum vestrarum vocem audite.

Sancti Patroni hujus Provinciæ diœcesium, eos adjuvate, ut reportare possint promissiones. Burgensis Metropolis Angele, custodi illos in omnibus viis suis et morientes a draconis infernalis libera insidiis. Dei Mater, sine labe originali concepta, filios hos tuos, quos tibi hodie commendo, in æternum ignem conjici haudquaquam permittas: sub tuum præsidium confugiunt; numquid oblivisci potest mulier infantem suum? Mater potens et clemens, ne despicias illos in necessitatibus suis: illos tuos misericordes oculos in ipsos atque in nos converte, ut omnes ad quos Burgensis Concilii Constitutiones spectant cum ejusdem Patribus per intercessionem gloriosam tuam requiem æternam ingredi mereamur et Filium Tuum Unigenitum incessabili voce laudare. Fiat, fiat.

ACCLAMATIONES

Synodo absoluta decantatae.



v. Omnipotenti Domino, in essentia Uni, in personis Trino, Patri misericordiarum, et Deo totius consolationis: honor et gloria in sæcula sæculorum.

r. ¿Quis non timebit Te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

v. Agno qui occisus est ad abluendum sanguine suo peccata nostra, Jesu Christo in Eucharistiae Sacramento realiter praesenti, atque ex adorabili corde, tamquam ex fonte inexhausto, dona effudenti uberrima: benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo in sæcula sæculorum.

r. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Noster, dignus est accipere gloriam et honorem et virtutem.

v. Dei Genitricem ac Matrem nostram Immaculatam Virginem Mariam, Hispaniarum Patronam, beatam dicant omnes generationes.

r. Fecit ei magna qui potens est. Ipsa est gloria, laetitia, et honorificentia populi nostri.

v. Laudemus viros gloriosos Hemetherium, Celedonium, Antoninum, Prudentium, Petrum Oxomensem, Dominicum Calceatensem, Julianum, Dominicum a Gusman et Ignatium de Loyola, Sanctos hujus Provinciae Tutelares, Divosque omnes in ea ortum vel sepulchrum habentes.

r. Memoria eorum sit in benedictione; nomina autem illorum sicut stellae fulgebunt in perpetuas aeternitates.

v. Leoni XIII, Pontifici sapientissimo et sanctissimo: gentilium conversio, dissidentium ecclesiarum in unitatis centro concordia, populorum et principum sincera obedientia, et temporalis regni ac politicae potestatis restitutio.

r. Tribuat ei Dominus secundum cor ejus, et omne consilium ejus confirmet; solvat catenas de manibus ipsius: et fiat unum ovile, et unus pastor.

v. Archipraesuli Gregorio, quem Deus ad Provincialium

Synodorum Burgensium seriem inchoandam elegit, congratulatio.

R. Ad multos annos Ecclesiae Burgensi conservet eum Dominus, ut alia Concilia celebrare possit.

V. Reverendissimis Episcopis Raymundo, Vincentio, Francisco, Henrico et Joseph, post arduos Concilii labores, felix ad proprias Ecclesias reditus et continuum auxilium de Sancto super eos.

R. Impleat Pastorum Princeps omnes petitiones eorum, dies super dies adjiciat ipsis, et Spiritum sanctum suum ne auferat ab eis.

V. Singulis Sacerdotibus qui quovis titulo huic Concilio, tanquam Synodales, interfuerunt: vitae sanctitas et felicitas in Domino.

R. Labia eorum custodiant scientiam; boni odor sint Christi; et aquas hauriant eum gaudio de fontibus Salvatoris.

V. Universo Clero et populo Provinciae Ecclesiasticae Burgensis salus aeterna atque in terris laeta omnia et fausta.

R. Benedicat Deus animabus eorum, atque in pinguedine terrae et in rore coeli desuper sit benedictio sua.

V. Catholico Regi nostro Alphonso longa vita, pacis fecunditas, et rectum consilium ac justa opera ad Patriae prosperitatem et Religionis defensionem.

R. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

V. Omnibus qui auctoritatem in populis exercent, amor justitiae, divinae gloriae zelus, atque in negotiis gerendis solertia.

R. Amen, amen.

V. Hujus Concilii decreta, per intercessionem Beatae Mariae Virginis, et Castissimi ejus Sponsi Divi Josephi, Sancti Michaelis Archangeli, et Coelitem omnium, Dei favore, adamussim serventur.

R. Fiat, fiat.

V. Anathema cunctis haereticis.

R. Anathema, anathema.

INSTRUMENTUM

DE ACTIS

IN PRIMO CONCILIO PROVINCIALI BURGENSEI.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Consilio a suffraganeis quæsito, necnon Apostolica Benedictione accepta, Excemus. atque Illmus. Fr. Gregorius Maria Aguirre et Garcia, Archiepiscopus Burgensis, litteras die 24 novembris anni proxime elapsi dedit, per quas Provinciale Concilium edixit die 24 aprilis solemniter inaugurandum. Epiphaniarum autem die, inter anni festa mobilia, Concilii inchoatio denunciata in Ecclesia Metropolitana fuit. Postea, quadragesimæ tempore adventante, de *Conciliis Provincialibus* epistolam pastorem ad clerum populumque sibi subditum Archiepiscopus scripsit, atque in folio periodico diocæsano non semel de *Concilio Provinciali Burgensi* egit.

Die 21 Aprilis Provinciæ Episcopi, necnon Abbas Ecclesiæ Calceatensis, Vicarii Capitularis Calagurritani procurator, in unum cum Metropolitano, apud quem Prælati eorumque familiares deversabantur, convenere, ut indefesso studio laboribus Concilii incumberent, quibus per plures menses intentus fuerat Metropolitanus.

Præparatoria generalis sessio die 23 vespere in splendide decoratæ Cathedralis Ecclesiæ aula dicta *de los retratos*, luce electrica illuminata, habita fuit. Post liturgicas preces in *Cæremoniale primi Concilii Provincialis Burgensis* præscriptas, quod inter omnes Synodales distribuit Archiepiscopus, hispana lingua hic de malis quæ societatem maxime affligunt

et conturbant Conciliorum ope medendis disseruit, Synodalesque hortatus est ad, oratione et studio, prospero Concilii successui operam conferendum. Secretarius deinde legit Synodi Officialium et Theologorum Canonistarumque a Prælatorum consultationibus nomina, atque instrumenta procuratoria a Capitulorum deputatis accepta, necnon excusationem Vicarii Calagurritani, qui infirma valetudine detinebatur, et authenticum testimonium, per quod facultates trans mittebat Abbati Calceatensi; quæ omnia excusationum et querelarum iudicibus tradita fuere, tum ut de instrumentorum legitimitate decernerent, tum ut de allegata excusatione votum cum Fiscali coram Metropolitanò patefacere possent, qui sententiam diceret. In hac et insequentibus congregationibus generalibus Rvmi. Episcopi habitum prælatitium, Metropolitanus autem, præterea, stolam rubram, sacerdotes verò ordinariam vestem induebant, capite pileolo cooperto; quoniamque in iisdem non ad instar collegii Capitulum Metropolitanum interveniebat, post Reverendissimos Prælatos et Vicarii Capitularis Calagurritani vices gerentem subsellium tenuit Abbas Sancti Dominici de Silos, benedictus, et Pontificalium usum habens.

Die vigesima et quarta aprilis hora octava cum dimidio a Metropolitanò in præparatoria Congregatione generali designata, clerus cathedralis et synodales omnes palatii sacellum ascendere, unde, intonato ab Archiepiscopo hymno *Veni Creator*, sollempnissima supplicatio per vias et plateas vulgo dictas *del Duque de la Victoria, Paloma, Cid, Plaza Mayor, Espolon, et Arco de Santa Maria*, stragulis magnifice ornatas, quasque ingens populi multitudo occupabat, instituta fuit, hoc ordine, quem Synodales in sessionibus et congregationibus generalibus observarunt:

Archiepiscopus, cum baculo et mitra pretiosa, inter diaconos assistentes incedens; Episcopi, cum mitra auriphrigiata, bini et bini, juxta eorum promotionis antiquitatem; Ca-

nonici Ecclesiæ Metropolitanæ cum pluvialibus rubris; Abbas benedictinus, mitra coopertus; Metropolitanæ Ecclesiæ beneficiati, cum habitu choralis, qui tamen sessionum non nisi parti publicæ assistebant in choro sedentes; a Capitulis deputati, servato Prælatorum suorum ordine, cum habitu proprio choralis; Collegiatarum Abbates et procuratores, suo etiam choralis habitu; Synodi Officiales, qui Capitulorum procuratores non erant, in habitu conciliari, eodem ordine, quo in decreto electionis nominati sunt; Antistitum consultores, anterioribus titulis non comprehensi, secundum ordinem Episcoporum, quorum erant a consultationibus, superpelliceo et stola rubra induti, vel, regulares, habitu religionis suæ; civitatis parochiis adscripti clerici superpelliceo utendo; Seminarii Professores, absque superpelliceo; Regularium commissiones in civitate et prope illam monasteria habentium; Burgensium Seminariorum alumni aliquot in veste internorum propria; ordinum urbis et religiosarum confraternitatum necnon piarum associationum delegati, cum insignibus suis. Anteibat custos ad limina Ecclesiæ Cathedralis, scipionem manu ferens, quem, intra series, loco suo, sequebantur sodalitatum vexilla, cruces parochiales, Capituli et Metropolitanæ, et schola cantorum. Pone Archiepiscopum incedebant primariæ in urbe vel auctoritate, vel dignitate, vel publico munere personæ ab illo invitatæ plurimique devoti fideles.

Processione durante, omnium Ecclesiarum campanæ pulsatæ fuere, sicut pridie a primis vesperis, et ante dies aliarum sessionum sub noctem. Præter supradictum hymnum solemniter decantata sunt *Ave maris stella*, et cantica *Benedictus* et *Magnificat*, usque ad ingressum, sonantibus organis, per januam præcipuam, in templum metropolitanum, in quo ostiarii sua cuique loca indicarunt, a Cærimoniarum Magistris antea designata: municipii procuratores in scamnis suis, qui superiorem exercebant magistratum politicum, mili-

tarem, judicialem litterariumve in choro, synodales autem in tabulato inter presbyterium et pulpita disposito sedebant.

Post Missam *de Spiritu Sancto* pontificaliter, schola cantorum pluribus vocibus, ut in ceteris sessionibus, aucta mirifice prosequente, ab Archiepiscopo celebratam, cujus Evangelio decantato, concio, quæ, sicut ceteræ, ad calcem Constitutionum apponetur, a Rmo. Episcopo Santanderiensi hispane fuit habita, ille, de throno descendens, comitatus a Missæ ministris cum ornamentis rubeis, ante faldistorium sibi paratum procubuit, deposita mitra, intonavitque antiphonam *Exaudi, Domine*: incepto psalmo *Salvum me fac*, sederunt omnes, illumque recitaverunt alternatim cum cantoribus: repetita antiphona, Episcopis stantibus, ceteris vero genua ponentibus, Metropolita, ad altare versus, orationes præscriptas dixit. Cunctis genuflexis, decantatæ sunt, respondente Concilio, litanix Sanctorum, in quibus Archiepiscopus Synodo benedixit: iis finitis, surrexerunt omnes, et, post orationem *Da, quæsumus*, cantatum fuit Evangelium *Convocatis Jesu*; iterum accubuere, dum hymnim *Veni, Creator* Metropolitanus inchoavit, quem prosecuti sunt stando.

His peractis, sedens, Metropolita latino idiomate concionem habuit: posthac accedentes Promotores factaque præsidi reverentia, ut semper ante et post instantiam, eorum alter dixit: *Excme. atque Illme. Præsul: Quum primi Concilii Provincialis Burgensis inaugurationis advenerit dies, Nos, ejusdem auctoritate tua constituti Promotores, ut decretum de aperienda Synodo legi jubeas oramus et instamus*: respondente Metropolitano: *Ita, cum Patrum Nobis cognito assensu, fieri mandamus*, ab ipsius osculata manu, Promotoribus ad sedem reversis, Secretarius decretum accepit atque ex ambone legit. Post hæc Promotores orarunt et instarunt decretum de professione fidei publicari, ut Tridentini præcepto fieret satis: responso dato a Metropolitano:

Sic statuimus ac jubemus, lectoque a Secretario decreto, Synodales omnes, versum altare genua submittendo, professionem fidei emiserunt, quam, tactis Evangeliiis, Archiepiscopus juravit, et posthac, eo sedente et super genua tenente Evangeliorum librum, Prælati et Abbas benedictinus, accedentes singuli; quod subinde fecere simul promotores, dum omnes Synodales, suo quisque loco, manu sinistra pectore tacto, et dextram versus Evangelium porrigendo, juramenti formulam repetebant. Iterum instarunt Promotores ut legerentur tunc præliminaria decreta in prima solemnè sessione publicanda: de Archiepiscopi mandato sic factum fuit; dum Concilii Tridentini caput legebatur, stabant omnes. Lectione expleta, Secretarius ex ambonè quæsivit: *Placentne Concilio decreta?*; et Archiepiscopo dicente: *Habeatur sententia patrum*, Præfectus Synodali scrutinio cum Præfectis disciplinæ ad Patres veniens, *Placet vobis?* singulos interrogavit, hisque *Placet* respondentibus, Metropolitano reddidit notum, qui alta voce protulit: *Patribus decreta placuerunt; ideoque grates sunt Deo reddendæ*: tunc Patres simul dixerunt: *Deo gratias*.

Postmodum petierunt Promotores, ut secundum Provincialium Conciliorum praxim dies et locus alteræ sessionis indiceretur; quo per decreti lectionem facto, denuo Archipræsulem rogarunt, ut accuratam eorum, quæ in sessione acta erant relationem confici juberet: eo respondente *Conficiatur*, Notarius Major, sociorum etiam nomine, qui ante mensam cum omnibus ad scribendum necessariis paratam assidebant, dixit *Conficiemus*. Denique Concilio et fidelibus, qui templi naves omnino replebant, benedixit Metropolitanus, et per breviorè viam ad Palatium cum Patribus, paramentis depositis et organo sonante, a Synodalibus stipatus redivit.

Diebus 25 et 26 Procuratorum et Consultorum commissiones sub singulis Episcopis suffraganeis in uniuscujusque Præsidis habitaculo sessiones *particulares* vespere habuere ad

singulatim titulos, a commissionis secretario lectos, examinandum, atque emendationes, additiones aut suppressiones, quas faciendas judicatum fuerit, proponendum: feriis 4.^a 5.^a et 6.^a ejusdem hebdomadæ *generales* congregationes seu sessiones celebratæ fuere, ad quas Synodales omnes conveniebant: in iis, postquam Concilii Secretarii, alternis vicibus, titulos perlegerunt ab Archiepiscopo acceptos, integram fuit cuique, venia Metropolitanæ petita, suo in loco surgendo, latino aut vernaculo sermone, reformationes, quas admitti necessarium censerit, proponere ac defendere, quod reipsa ab aliquibus factum fuit, latine redactas in compendium Notario Majori postea traditas. *Privatim* præterea Patres coibant, ut, præ oculis habendo a theologis et canonistis exposita, inter se deliberarent, et quid in sessionibus solemnibus publicandum foret in Domino definirent.

Sabbato, die nempe ultima mensis, hora octava et dimidia, quum clerus synodalis ad templi portam expectaret, Antistites, Capitulo comitante, ex archiepiscopalibus ædibus descenderunt, et altera solemnis, prout sub finem præcedentis Metropolitanus edixerat, habita fuit sessio. Post sacrum pontificaliter pro defunctis Provinciæ Prælati a Rmo. Episcopo Legionensi litatum, absolutio super tumultum a suffraganeis Episcopis juxta eorundem consecrationis antiquitatem et denique a Missam celebrante fuit impertita.

Ultra, pluvialibus rubris indutis, decantata fuere antiphona *Propitius esto*, psalmus *Deus, venerut gentes*, orationes in Pontificali præscriptæ, Evangelium *Designavit*, et hymnus *Veni, Creator*; cumque jam *Exeat populus* alter Præfectorum synodali disciplinæ dixisset, janisque ab ostiariis clausis, concionem latine habuit Rmus. Episcopus Palentinus: ea expleta, Promotores requisiverunt, ut, quatenus parata jam erant conciliaria decreta in sessione illa promulganda, ipsorum tunc fieret lectio: Archiepiscopo mandante, decreta lecta fuere;

quum opportunum ei visum est, signum dedit, de assensu Patrum denuntiavit sessionem ad horam tertiam cum dimidio vespertinam esse differendam, et synodo benedixit absque ulla verborum formula. Continuata sessione post orationem *Adsumus* ab Archiepiscopo recitatam, quum omnia peragenda expediri nequivissent, prorogata fuit ad secundæ feriæ horam nonam matutinam, qua in die, vespere, finita fuit, eodem modo ac prima, secunda solemniss sessio; in hac vero, ante solemnem benedictionem, unus ex Præfectis synodali disciplinæ, omnibus genua submittentibus, hæc tria capita orationis mentalis, aliqua mora inter singula interjecta, cum cantu ex pulpito proposuit: 1. *Fratres dilectissimi, toto cordis affectu orate pro Pontifice nostro Leone, et pro Sanctæ Ecclesiæ triumpho et felicitate.* 2. *Fratres dilectissimi, toto cordis affectu orate pro his qui in sublimitate præsent, ut patriæ nostræ dies quietis ac prosperitatis affulgeant.* 3. *Fratres dilectissimi, toto cordis affectu orate, ut nos omnes, conciliaris congregationis fructus percipientes, in viis Domini ambulando, ad æternam patriam, cunctis sanctis intercedentibus, admitti mereamur.*

Die tertia maji, prout de consensu Patrum Metropolitanus jusserat, celebrata fuit, post horas canonicas a Capitulo summo mane persolutas, postrema solemniss sessio. Sacrum de *Sanctissima Trinitate pro gratiarum actione* confecit coram populo Rmus. Episcopus Victoriensis: concionem habuit Uxamensis Episcopus, lingua latina utens: lectum fuit quod ex Constitutionibus Secretario Archiepiscopus legendum tradidit. Prosequuta fuit sessio hora quarta vespertina, in qua, cum magna populi frequentia, lecta fuere, petentibus Promotoribus, decreta finalia. Judices et testes Sinodales jusjurandum officium a se susceptum fideliter implendi coram Metropolitano emisere: Concilii Patres super altare collocatas Constitutiones propria manu obsignarunt: Synodaliū census a Præfecto

scrutinii lectus fuit. Postquam Archiepiscopus, cum mitra sedens, concionem habuit latine, intonavitque *Te Deum*, supplicatio intra Ecclesiam fuit instituta: ea absoluta, respondente Concilio, ab Episcopo Oxomiensi cantatæ sunt *Acclamations*: ritu solemnibus, plenariam indulgentiam a Papa concessam tribuit Metropolita. Quum Canonicus Diaconus cantasset *Recedamus in pace*, universumque Concilium respondisset *In nomine Christi, amen*, amplexum Prælati singuli recepere a Metropolitanano et mutuo inter se dederunt, et depositis paramentis regressi sunt ad ædes archiepiscopales. In quorum fidem hoc instrumentum conficio et subscribo cum adjunctis Notariis et vocatis testibus ab Archiepiscopo electis, Burgis anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo nonagesimo octavo, die vero quarta mensis maji.—Antolinus Lopez Pelaez, Vicarius Generalis Burgensis, Concilii Notarius Major.—Jacobus Ozcoidi Udave, Canonicus Pœnitentiarius Victoriensis, Notarius.—Andreas Gonzalez de Suso, Rmi. Episcopi Victoriensis Secretarius, Notarius.—Victor de Soto, Canonicus Burgensis, testis.—Joseph Maria Vidal, Canonicus Burgensis, testis.—Felicianus a Vicente, Beneficiatus Ecclesiæ Santanderiensis, testis.—Petrus Herranz Alonso, Canonicus Ecclesiæ Soriensis, testis.—Félix Gonzalez Alonso, Sacrista Major Ecclesiæ Burgensis, testis.—Antonius Maria Gutierrez Ballesteros, Coadjutor Ecclesiæ Sancti Laurentii Burgensis, testis.

Concordat cum originali, sub mea custodia posito.

Burgis, die 13 Maji anni 1898.

Antolinus Lopez Pelaez.



DECRETA CONCILII.

MONITUM.

In lectione et exequutione subsequentium Concilii Decretorum, præ oculis habendæ sunt atque adamussim observandæ additiones quæ, præhabita Sacræ Congregationis Concilii speciali facultate, eisdem Decretis post Synodi absolutionem fuerunt factæ, et inde a pagina 361 ad 444 continentur insertæ.

PARS PRIMA.

DE FIDE ORTODOXA.

TITULUS I.

De fide profitenda.

Nunquam licet fidem abnegare, mendacii peccatum sic admittendo, Dei veracitati injuriam inferendo gravissimam, scandalum proximo dando, a vero spiritu filiorum Ecclesiæ deflectendo, quorum plurimi acerbissimos cruciatus mortemque ipsam libenter passi sunt ob non proditam Religionem, et iram Dei provocando, quem si negaverimus, et Ille negabit nos (1). Nec sufficit veritatibus revelatis assensum internum præstare, dum pudet illas confiteri coram hominibus, ut confiteatur et nos Christus coram Patre, qui in cœlis est; *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (2), et qui Jesum ejusque sermones erubescit, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua (3). Ubi honor Dei, et utilitas proximi illud exposcunt, omnes christiani ore et factis confiteri et profiteri tenentur fidem in Baptismo promissam; illius vero formulam quam et nos subscripsimus in prima sessione hujus Concilii,

(1) 2.^a Tim., 2, 12. =(2) Rom. 10, 10. =(3) Luc. 9, 26.

quæ nempe in Constitutione *Injunctam Nobis* a Pio IV fuit edita, cum additionibus a Pio IX præscriptis (1), de jure aliqui speciatim recitare obligantur.

1. Quamquam, ex Dei præcepto, Ejus ministri ad fidei custodiam adstringuntur, quoniam jusjurandum plus ligat, atque particulatim sponsa magis timentur quam modo generali pollicita, quumque fides sit scientiarum veluti basis, quemadmodum initium sapientiæ est timor Domini, atque juventutem a quapiam vel hæresis umbra immunem servare quam maxime oporteat, omnes, juxta quod rectissime a Pio Papa IV fuit decretum (2), cujuslibet artis vel scientiæ in Seminariis Professores, singulis annis, in inauguratione cursus scholaris, coram omnibus alumnis, fidei professionem emittant; nec qui, quocumque prætextu, illam omiserint, ad docendum admittantur, ni prius hac in re suo faciant muneri satis. Quoniam autem, prout notavit Sacra Concilii Congregatio (3), Pius IV obligationem fidei professionem emittendæ extendit «ad omnes doctores, magistros, regentes, vel alios cujuscumque artis et facultatis professores, sive clericos, sive laicos, vel cujuscumque ordinis regularis, quibuslibet in locis, publice vel privatim, quoquo modo profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes», supradictam professionem faciant, una cum aliis, qui in Seminario docent, canonicus lectoralis ceterique suis præbendis quacumque ratione munus aliquam assignaturam explicandi annexam habentes. Similiter nulli baccalaureatus laurea in Sacra Theologia conferatur, quin fidem antea professus fuerit.

2. Jubente Concilio Tridentino (4), provisos de quocumque beneficio, curam animarum habente, a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus Episcopi vel ejus Vicarii, aut specialiter delegati, fidei professionem

(1) S. C. Conc. 20 Jan. 1877. =(2) Motu proprio *In Sacrosancta*, 1564. =(3) 20 Januar. 1877. =(4) Sess. 24, c. 12, De Reformat.

faciat, obedientiam Romanæ Ecclesiæ spondens ac jurans.

3. Qui vero canonicatum, aut dignitatem, aut residentiale beneficium in Ecclesia Cathedrali obtineant, hoc ipsum personaliter non coram Episcopo tantum, verum in Capitulo etiam præsentent, tametsi in possessione capienda alterius beneficii jam fuerint professi.

4. Hæreticus, qui ad religionem catholicam venire cupiat, heterodoxam doctrinam publice abjuret (1), et juxta usitatum formam fidei veræ professionem ostendat.

5. Omnes, qui jure suo prima vice Synodo Diœcesanæ intersint, de præcepto Sacrosancti Concilii Tridentini (2), fidem catholicam profiteantur.

6. Nec illud omittant, dum muneris sui possessionem adipiscuntur, Vicarius Generalis, Promotor Fiscalis, Procuratores et Notarii ecclesiastici.

7. Parochi, diebus festis de præcepto, finita Missa, pariter cum populo, vulgarem dicant formulam, tot indulgentiis ditatam, qua actus fidei, spei ac caritatis exprimuntur: hoc idem non prætermittant convenit, dum in Ecclesia Marialis Rosarii precatio habeatur.

8. Confessarii, cum id pro sua prudentia opportunum arbitrati fuerint, recitationem symboli apostolici, tamquam salutarem satisfactionem aut medellam, pœnitentibus injungant.

9. Tandem, verba venerabilis memoriæ Pii Papæ IX (3) recolentes, summopere commendamus, ut in publicis orationibus Deo peculiare gratiæ referantur pro singulari catholici Religionis beneficio, suppliciter simul flagitando, ut illius professionem in regionibus nostris intemeratam custodire dignetur.

(1) Ad abolendum, 9 de hæreticis. —(2) Sess. 25, cap. 12.—

(3) Encycl. «Nostris», 8 Decemb. 1849.

TITULUS II.

De fidei prædicatoribus.

Cum, juxta argumentum Apostoli (1), fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi, neque audiatur sine prædicante, liquido constat, quam excellens sit ac necessarium ministerium prædicationis, quo, pro Cristo legatione fungendo (2), Ejus voluntas patefit, et sermones annuntiantur.

1. Ad tam sublime munus rite exercendum, plures qualitates requiruntur. In primis, nemo prædicare audeat sine Episcopi licentia; usus est enim legitima missione, dicente Apostolo (3): Quo modo prædicabunt nisi mittantur? Ordinario Antistites solis presbyteris facultatem concionandi faciant; neque ulli unquam, quin prius de ejusdem aptitudine certo constet, præcipiente Tridentina Synodo (4) ad officium tanti momenti non assumi nisi viros idoneos, de vita et scientia et moribus probatos.

2. Concionatores exempla propria verbis adjungant, Christi vestigia prementes, qui cœpit facere et docere (5): ob oculos semper versentur ea, quæ placet hic referre, sapientissima verba Sancti Isidori, fulgentissimi litterarum hispanarum sideris (6): «qui in erudiendis atque instituendis ad salutem populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccatis debet esse alienus.... primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alium ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetip-

(1) Rom. 10. =(2) 2. Cor. 5, 20. =(3) Rom. 10, 15. =(4) Sess. 5, c. 2. =(5) Act. 1, 1. =(6) Officior. lib. 2.

sum formam vivendi præbeat, cunctosque ad bonum opus et doctrina et opere provocet».

3. Non sibimetipsis modo, sed et aliis prodesse debentes verbi divini præcones, sufficientem, præter virtutem, scientiam habeant requiritur. Præ primis Sacræ Scripturæ, quæ est ipsum verbum Dei, sint studiosissimi: catholicam Theologiam apprime, quantum possint, calleant, ne in rebus tanti momenti populum fidelem errorem aliquem fortasse doceant: cætera vero adjuncta, quibus paratum esse concionatorem decet, minime negligant.

4. Exemplum Patrum, quotidiana experientia, et Doctorum auctoritas propatulo ponunt, quam magni referat, ut, qui sacros sermones ad populum habeant, artis dicendi sint periti: volumus proinde, ut rhetorica generalis et oratoria sacra ea, qua par est, perfectione in seminarii sediscantur. Quia vero propter multiplices curas officii pastoralis parochos absque sufficienti proxima præparatione ambonem ascendere aliquoties continget, opportunissimum æstimamus, ut scholares doceantur, et solemne habeant, publice et ordinate loqui, quin memoriæ dicenda mandent. Grammaticam hispanam pariter prædicatores in unguem sciant, eo vel magis quod defectus elocutionis facilius ab auditoribus notantur.

5. Quamvis disciplinis, quæ ad recte suo munere fungendum, prædicantem juvant, hic studuerit, non quidquid in buccam venit effutiat; sed ad unumquemque sermonem, quantum potuerit, et pro adjunctorum diversitate opus sit, sese in Dei præsentia præparet, Ejus exposcens auxilium, qui est Pater luminum et donorum optimorum dator, quique dat incrementum. «Concionator sacer (ajebat sanctus Carolus Borromeus) (1) omnino studebit, ut, quod in concione dicturus est, antea bene cognitum habeat; ubi vero ex studio librorumque tractatione cognoverit et perceperit quod conciona-

(1) Act. Eccl. Mediol., part. 4. de prædic.

turus est, tunc singulas concionis partes, quas animo concepit, etiam atque etiam diligenter pieque meditabitur, ut audientium animos ad illum ipsum pietatis affectum sancte agendi ardorem excitet.»

6. Prædicatores sint fideles dispensatores mysteriorum Dei (1); quæ Ejus, non quæ sua sunt, quærant (2); non semetipsos, sed Christum crucifixum prædicent (3); docentibus illis, non clamor multitudinis plaudentis, sed gemitus excitentur (4); auram admirationis popularis nullatenus inhient, prurientes auribus (5), et solummodo loquentes *verba placencia* (6); rusticitatem omni cura devitent, verum non sic locutionem ornent, ut verborum foliis et floribus styli fructus doctrinæ veluti obruantur et occultentur; a profanis vocum novitatibus abstineant, et, quidquid sanctitati loci et ministerii gravitati minus congruit, longe a se faciant: meminerint se omnibus debitores esse, quum rudibus, tum sapientibus, et nonnisi æer verberare dum captui populi sermonem non accommodant, etenim ad nihil verba, «si quod loquimur, non intelligunt ii, propter quos, ut intelligant, loquimur» (7).

7. Zelo prudentia se sociam exhibeat, ut omnes exaggerationes vitentur; ne, in peccatis describendis, fidelibus, præsertim adolescentulis, aliquod scandalum præbeatur; ne tamquam mortale declaretur, quod lethale esse non certo constat; ne res civiles ac politicæ temere cum religiosis commisceantur; ne auctoritates constitutæ petantur convitio; ne fabulæ, vel, quas ars critica rejicit, narrationes historiæ, pro veris asserantur; ne in vitia reprehendendo ad determinatas respiciatur personas; neve caritatis locum teneant acrimonia, amaritudo, et acerbæ oburgationes.

8. Quoniam sermo Dei est vivus et efficax, penetrabilior

(1) 1. Cor. 4, 1. =(2) 1. Cor. 13, 5. =(3) 1. Cor. 1, 23. =(4) Hieron. ad Nepoc. =(5) 2. Tim. 4, 3. =(6) Isai., 30, 10. =(7) S. August. de doctr. christ. lib. 4, c. 10.

omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus (1), et prædicatio Apostoli Gentium et veritatis Doctoris non erat in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis (2), ne, tamquam æsonans et cymbalum tinniens (3), prædicator fiat, ad Dei auctoritatem magis quam ad rationis argumenta confugiat, aquam sapientiæ non in cisternis dissipatis, sed de ipso fonte desumens. et vel Bibliorum phrasibus pro posse utatur, memoria tenens hæc sapientissimi Domini nostri Leonis verba (4): «Propria et singularis Scripturarum virtus a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est, quæ oratori sacro auctoritatem apostolicam præbet, dicendi libertatem, nervosam victricem—que tribuit eloquentiam... Prudentioribus assentiendum est inesse in Sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam... atque res ipsa confirmat præstantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assidue Bibliorum consuetudini piæque meditationi se præcipue debere, grati Deo affirmarunt».

9. Carmina profana non repetantur in pulpito; nec in ore assumantur absque vera necessitate, sed unquam cum laudibus, nomina impiorum, vel eorum absurda systemata, eruditionis ostentandæ ergo, exponantur: nec auctoritas allegetur scriptorum laicorum, si adhuc in vivis agunt.

10. Juxta ea, quæ nuper (5), de mandato Summi Pontificis feliciter reguantis, docuit Episcoporum et Regularium Sacra Congregatio, volumus, ut sermones illi scientifici et polemici, qui audiunt *conferentias*, non nisi a viris doctis, in frequentioribus civitatibus, dum opus sit, habeantur; sollicitè tunc curando, ne errorum expositio, si non plene profligantur, atque ad nihilum rediguntur, plus noceat, quam prosit.

(1) Hebr. 4, 12. —(2) 1. Cor. 2, 4. —(3) 1. Cor. 13, 1. —(4) En-cycl. de stud. Script. Sacr., 18 Nov. 1893. —(5) 31 Jul. 1894.

TITULUS III.

De prædicatione parochiali.

Semper Episcopi frequentem ad populum, nisi legitime impediuntur, prædicationem ad potiores sui muneris partes spectare jure merito intellexerunt, Supremum Pastorem imitantes, qui quotidie in templo docebat (1), atque, ut Doctor Angelicus advertit (2), officium baptizandi aliis commisit, non vero prædicandi; et Apostolos, qui non æquum reputarunt derelinquere verbum Dei (3) et ministrare temporalibus.

1. Parochis cæterisque curam animarum habentibus præcipit sacro-sancta Tridentina Synodus (4), ut *saltem* diebus dominicis et festis solemnibus populum fidelem pascant verbis salutaribus, dummodo legitime non sint impediti, quo in casu per alios idoneos hoc ipsum præstare debent; monetque, altero in loco (5), posse Episcopum jubere, ut in qualibet parochia tempore Adventus et Quadragesimæ sermones ad populum habeantur omnibus diebus vel saltem tribus in hebdomada.

2. Ad hoc adeo grave munus non implendum nequaquam pro excusatione afferri potest immemorabilis consuetudo, vel quod propter assiduitatem aliarum concionum in eodem populo innecessaria videatur prædicatio a parochia facienda (6).

3. Qui duabus parochiis præsent, in unaquaque, intra solemnia Missarum de præcepto, ad offertorium, vel post lectionem Evangelii, verbum Dei annuntient.

(1) Luc. 2, 46. =(2) 3, q. 67, a. 2, ad 1. =(3) Act. 6, 2 =
(4) Sess. 7, c. 2. =(5) Sess. 24, c. 4. =(6) Innocent. XIII Bull.
«Apostolici ministerii», 13 Maj. 1723.

4. Cum legere non sit prædicare, intelligant non suo muneri facere satis, qui ob pigritiam et ignaviam libros spirituales ad parochialem concionem supplendam legunt.

5. Quoniam prolixitas tædium et fastidium creat, et confusionem immodica idearum congeries in rudium præsertim intellectibus parit, ut Sanctorum Patrum commune sequatur exemplum, si omnes conciones breves esse oportet, parochiales tertiam horæ partem ordinario non superent, speciatim in vicis tempore æstivo.

6. Affirmante Benedicto XIV (1) maximam eorum partem, qui æternis pœnis damnantur, hanc calamitatem subire propter ignorantiam mysteriorum fidei, quæ scire et credere necessario debent, ne hæc inscitia parochis imputetur, accurate, et sermone, quoad fieri poterit, facillimo, cum exemplis et similitudinibus rudium capacitati attemperatis, fidem catholicam tradant frequentissime in suis ad populum allocutionibus.

7. Cum autem *de corde* exeant cogitationes malæ (2), et *in corde* dicat insipiens: non est Deus (3), non tantum credenda fidelibus declarent parochi, sed doceant eos servare omnia quæcumque mandavit Christus (4); itaque, prout volebat Pius IX (5), «peculiariorum officia accurate explicent, omnes a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter relecti, vitia omnino declinent, virtutes sectentur, atque ita æternas pœnas evadere et cœlestem gloriam consequi valeant».

8. *Docete* Evangelium, præcipiebat Apostolis Christus (6): sit igitur explanatio textus evangelici, qui in Missa legitur, materia ordinaria prædicationis parochialis, non quidem modo speculativo tantum facta, verum morum reformationem præcipue intendens. Si autem placuerit certum ordinem, præ-

(1) Instruct. 27, n.° 18. ==(2) Math. 15, 19. ==(3) Psalm. 13, 1.
==(4) Math. 28, 20. ==(5) Encycl. 6 Nov. 1846. ==(6) Marc. 16, 15.

cedentem cum subsequenti referendo, inter conciones servare, methodum et rationem Catechismi Tridentini seu Sancti Pii V adhiberi oportebit. De hoc vere aureo libro, quem Romani Pontifices veluti normam in prædicanda fidei catholicæ doctrina proposuerunt, Episcopos alloquens, dicebat Clemens XIII (1): «nunc maxime commendamus, vosque etiam enixe in Domino cohortamur, ut jubeatis ab omnibus, qui animarum curam gerunt, in informandis catholica veritate populis, adhiberi». Denique quod ad libros concionum legendos pertinet, ne imitatione eorum, qui nullam laudem merent, magis magisque gustus depravetur, magna discretione utatur, et consilium expostuletur doctiorum.

9. Tandem fideles omnes nostræ ditioni subditos, quantum possumus, monemus, ut assidue sacris concionibus cum attentione et reverentia assistant, in prædicatore non hominem cum ejus defectibus, sed Christi ministrum (2), verbum veritatis (3) missione divina (4) annuntiantem videndo, cujus proinde suasionibus, quatenus cum Ecclesiæ doctrina conformibus, standum, non vero exemplis (5), si, quod nimis dolendum foret, et Deus avertat, ab illis abhorrent.

(1) *Bull. «In dominico agro»*, 14 Jun. 1761. —(2) 1. Cor. 4, 1. —(3) Ephes. 1, 13. —(4) Joan. 20, 21. —(5) Math. 23, 3.



TITULUS IV.

De sacris missionibus.

Cum Pio Papa VI in Bulla, quæ incipit «*Auctorem fidei*», tanquam temerariam, male sonantem, perniciosam, et mori pio salutariter per Ecclesiam frequentato, et in verbo Dei fundato, injuriosam, damnamus propositionem illam (1) pseudo-Synodi Pistoriensis enuntiantem «Irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt *Missiones*... forte numquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nihil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concusionis fulgura».

1. E contra, experientia videmus nos luculentissime comprobatum quod Benedictus XIV (2) et Pius IX (3) docuerunt, nempe, sacras missiones, idoneis Christi operariis commissas, perquam utiles esse, Deo auspice, sive pietati fovendæ, sive peccatoribus et sceleratissimis hominibus *ad veram pœnitentiam* excitandis, ac proinde, ut populus fidelis crescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructificet, et uberius cœlestis gratiæ auxiliis munitus, a perversis hostium Ecclesiæ doctrinis constantius abhorreat. Nihil itaque nobis gratius et Deo acceptius parochi agere possunt, quam ut frequenter in populo sanctificando missionariorum operam proprio labori adjungant.

2. In memoriam adducant præterea, qui animarum curam gerunt, juxta doctrinam Sancti Alphonsi Mariæ a Li-

(1) P. 65. = (2) Epist. ad Episc. Sicil. = (3) Encycl. «Nostis», 8 Decemb. 1849.

gorio (1), teneri sacram offerre populo missionem, quando in eo notabilis est morum corruptio, cui aliud remedium non occurrit. Ipse vir doctissimus, et prudentia atque experientia plenus, ista scripsit verba, digna quæ heic exhibeantur, quatenus veritati omnino consona: «Ille parochus, qui missionem non curat, suspicionem ingerit suorum morum: boni enim parochi non prætermittunt quarto aut quinto quovis anno missionem arcessere».

3. Dum in aliquo oppido sacræ missiones prædicantur, sacerdotes omnes illic residentes, atque ceteri proximiores, qui tanquam necessarii vocati fuerint, ad partem sumendam in hoc ita salubri sanctificationis animarum ministerio venire haudquaquam inanibus prætextibus recusent, ne, cum messis multa sit, operarii autem pauci, Paterfamilias ejiciat in gehennam ignis eos, qui stent tota die otiosi, aliis onus diei et æstus portantibus.

4. Parochus vero, in cujus spirituali agro, suis laboribus et sudore excolendo, bonum hoc semen seminatum fuerit, in lætitia fructus a Domino benedictos colligat, haud tamen omnia ex missione sperando, ne, dum ille dormit, alienis transactis vigiliis confidendo, inimicus homo superseminet zizania igne æterno comburenda.

5. Si, quod rarius continget, zelum immoderatum et rigorem nimium, aut quancumque reprehensibilem inconsiderantiam in sacris concionatorum excursionibus deprehenderit Prælati, opportunum remedium, prout Deus suggesserit, ad id vitandum, applicent.

6. Eam commendamus praxim in sacris missionibus communiter usurpatam, populum edocendi pias cantiones, in quibus rudimenta fidei et saluberrima christianæ disciplinæ documenta continentur; ut sic etiam fideles, qui canticorum delectationi nonnisi ægre nuncium remittunt, relinquunt et

(1) Hom. Apostol. tract. 7, n.º 31.

obliscantur vanas atque ad luxuriam excitantes cantilenas.

7. Tandem in Domino et propter Dominum fideles obsecramus, ut, cum gratia hæc extraordinaria et uberrima sanctæ missionis per divinam benignitatem illis confertur, nolint aurem obturare, ut bene non intelligant, et cordis ostium, ad quod stat, clamat et pulsat, claudere; nihil namque efficacius ad eorum conversionem offerri potest, quam hoc remedium, quod divina misericordia mirum in modum benedicit, et prodigiosis effectibus cumulat; et timendum, ne, si Supremum Judicem taliter vocantem negligunt, ut in vitiorum luto volentur, æternam sibi damnationem adquirant, thesaurizantes thesauros indignationis in die iræ.



TITULUS V.

De aliis prædicationibus extraordinariis.

Ea est hominum conditio, ut, generatim loquendo, quæ iterum atque simili modo fiunt, quasi vilescant in eorum æstimatione, atque illis assueti minus in dies excitentur atque moveantur. Quamvis igitur ea, quæ a parochis in unaquaque hebdomada fit prædicatio, inenarrabiles, Deo benedicente, si, ut decet, fit, vitæ æternæ edit fructus, maximopere præstat, immo quandoque forte erit plane necessarium, ut insolitis prædicationibus populus ad vitia fugienda atque ad majorem Dei amorem provocetur, ac veluti impellatur.

1. Peropportunum erit, ut Episcopi, dum visitationem pastorem explent, per universas parochias, simul cum sacramento Confirmationis, verbum divinum administrent, nisi forte legitimo impedimento detineantur. Antequam Antistites pagos aut urbes peragrent, in quibus major sit morum corruptio, vel fidei ac devotionis tepor aut frigiditas, pii et navi sacerdotes accersantur, dummodo facile fieri possit, qui populum suis concionibus præparent ad gratiam sanctæ visitationis fructuose recipiendam.

2. Ad exemplum Apostolorum (1), qui Spiritum Paraclitum expetentes in cœnaculum sacrum sese receperunt in oratione unanimiter perseverantes, pii viri, quo amplius ac celerius in via mandatorum Dei currant, suaviter sunt ab eorum conscientia excusoribus hortandi, ut per aliquot dies, singulis annis, modo illis per rei domesticæ conditionem liceat, ac inanibus sæculi curis sese retrahendo, in aliqua

(1) Act., 1, 14.

religiosa domu solius pietatis vacent exercitiis, de uno porro necessario, de animæ negotio nonnisi cogitantes.

3. Foveatur ac propagetur laudabilis illa consuetudo, quæ in quibusdam nostræ provinciæ parochiis obtinet, prædicatores extraneos advocandi ad conciones Majoris Hebdomadæ; sed omnino cavendum, ne pulpitem ascendant in iis solemnitatibus concionatores vaniloqui et languentes in pietatis studio, qui celebritatem præcipue et ignoræ plebis puerilem plausum captare intendentes, gravitatem ministerii dehonestent ac deturpent, garrulique de omnibus sermocinentur, præter de iis, quæ ad cordis compunctionem, atque ad reformationem morum directe conducunt.

4. Verbi divini prædicatio nobis incumbit: cum autem illud omnibus simul in parochiis annuntiare nequamus, jubemur a Concilio Oecumenico Lateranensi IV viros idoneos assumere «potentes in opere et sermone, qui plebes verbo ædificent et exemplo». Si igitur, contra spem, aliqui parochi panem divini verbi non, prout decet, populis sibi commissis distribuerint, eorum expensis, sacerdotes eligemus, dum bene nobis visum fuerit, qui, retributionem accipientes ad hanc obligationem, nec per se nec per alios, implere renuentibus, modo eis præfigendo, plebes pascant salutaribus verbis.

5. Preces novendiales occasione solemnitatum religiosarum, vel in honorem alicujus sancti, quem populus specialiter veneretur, magni conferunt ad fidelium devotionem et conservandam et fovendam; in iis aliisque similibus casibus maximopere expediet ut parochi alios prædicatores advocent, vel si agatur de festivitatibus, quæ in omnibus parœciis celebrentur, alter ad alterius populum sermonem habeant parochi, mutuam sibi adjutorium præstando.

TITULUS VI.

De pueris in doctrina christiana erudiendis.

Supra id, quod dicibile est, ut pueri in religione catholica instruantur, atque ad Dei amorem excitentur, expedit: ea namque, quæ in primis annis mente et corde figuntur, per totum vitæ cursum plerumque animæ inhærentia permanent, atque inter fluctus ac turbines passionum, Dei gratia, portum monstrant fidei, naufragium impediendo. Adolescens, legitur in Proverbiis (1), juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Errores, qui adversum fidem in populo admittuntur, ac vitia, quibus hodierna societas fœdatur, tribuenda magna ex parte sunt ignorantiae catechismi doctrinæ christiænæ; quoniam non est scientia Dei in terra (2), et plures sunt, de quibus cum Psalmista asseri potest, quod erraverunt ab utero (3). Christum sequentes, qui dixit (4): sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad Me venire, talium est enim regnum cœlorum, Patres et Doctores Ecclesiæ, virique in societate christiana præstantissimi nihil ipsi antiquius habuere, nihil altioribus laudibus extulerunt, nihil magis enixis precibus commendarunt, quam catechesis exercitium, cujus et regulas optimas, per suam experientiam partas, aliqui tradidere.

1. Summis ergo precibus eos cohortamur, quorum est, ut gravissimo hujuscemodi officio, cui strictissime devinciuntur, pro viribus satisfaciant, ne dum puerorum animas negligunt, suarum detrimentum patiantur.

(1) 22, 6. =(2) Ose., 4, 1. =(3) Psalm. 57, 3. =(4) Math. 19, 14.

2. *Episcopi per sacro-sanctam Tridentinam Synodum* (1) admonentur, ut «saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, docere curent; et, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus». Ad quod eapropter tantum munus adimplendum, vigilantia tota nostra et, qua oportuerit, severitate uti parati in Domino sumus.

3. Noverint parochi cæterique animarum curatores obligationem catechismi diversam plane esse ab obligatione prædicationis intra Missam; quod sapientissimus Benedictus XIV iis verbis explicuit (2): «Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita, alterum, ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinæ legis fideique rudimentis informet». Nullo itaque modo pro sufficienti existimetur prædicatio illa generalis, quæ coram universo populo fit, quæque, prout ipsamet ratio dictat, atque ex aperta experientia constat, non plene potest aptari imbecillibus et non exultis puerorum intelligentiis; nec excusationis loco habendum quod in scholis quam diligentissime doctrina christiana a præceptoribus explicetur.

4. Explicatio catechistica non multum unius horæ spatium excedat oportet: piis munusculis assistentia et attentio foveantur; versus religiosi sunt decantandi, quibus non modo pueri ad conveniendum alliciantur, verum etiam ab ore populi removeri tandem possint carmina impia et cantica obscena; masculi a feminis omnino maneant separati; et, quatenus fieri queat, diversæ sectiones instituantur, ad ætatem et gradum instructionis respiciendo.

5. In populis frequentioribus opportunum credimus, ut

(1) Ses. 24, c. 4. —(2) Encycl. 7 Febr. 1742.

diversarum parochiarum pueri ad unum templum veniant, vel ad duo ad majorem separationem inter sexus procurandam, quo melius et commodius eorum instructioni consulatur: in civitatibus episcopalibus faciendum, ut Seminarii alumni practice, illam exercentes, discant saluberrimam catechizandi artem: in vicis autem et pagis, meliori, pro sui zeli industria, quo possint, modo parochi studeant hoc præcipuum inter præcipua suum munus implere, scientes esse nostram voluntatem, ut illis opem ferant omnes omnino clerici intra parochiæ confinia residentes, quorum labores, præter copiosam mercedem in cœlis accipiendam, quantum possimus, et nos remunerabimns.

6. Parentes omnes per charitatem Spiritus Sancti rogamus, ut de salute filiorum solliciti eos ad catechesim mittant, vel, quod melius foret, ipsos in explicatione audienda comitentur: qui sufficientem instructionem habeant cum aliis requisitis qualitatibus, præsertim ludimagistri, casu quo eorum opera juvari necessarium parochus crediderit, istius in tam sancto et salubri ministerio sint cooperatores, ut fulgeant etiam, ad justitiam erudiendo multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates: ii vero, quos substantia hujus mundi abundare Dominus dederit, pro comperto habeant nihil Ipsi gratius facere posse, quam si pecunia sua ad præmia ceterosque explicationis catechisticæ sumptus suffragandos contribuant.

7. Cum sint plures adulti, qui incredibili doctrinæ fidei ignorantia laborant, quique sacris concionibus fere umquam intersunt, videant in Domino parochi, pro personarum qualitate et diversitate adjunctorum, opportuniorem modum illos adeundi, præsertim dum infirmitate domi detinentur, et comiter atque industrie scitu maxime necessaria iis inculcandi: ante communionem paschalem et matrimonii sacramentum suscipiendum, fideles examini de doctrina christiana

subjiçiantur, nisi cum aliquibus dispensandum judicaverint parochi, quos tamen monemus, ne nimia et crudeli benignitate utantur, præsertim erga eos, qui matrimonio sunt jungendi: scholas denique dominicales pro ancillis præcipue institutas, in quibusque piæ feminae, clericis doctrinam fidei tradentibus, cetera ad rectam mulieris educationem spectantia docent, majorem iu modum commendamus, easque pro viribus fundare ac fovere curandum est nobis.



TITULUS VII.

**De institutione religiosa in scholis
primariis.**

Absurda est, et rectissime in Syllabo errorum a sanctæ memoriæ Pio IX promulgato comprehensa, propositio illa (1), quæ asserit postulare optimam civilis societatis rationem, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris «eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi ac ingerentia». E contra, quoniam luctuosissimis, quibus versamur, temporibus, plurima contra catholicam fidem propalantur, hujusque inimici nihil non moliuntur ad illam ex hominum intelligentia, si possent, eradicandam, nemo non videt quanti sit pueros in scholis communiri religiosa institutione, ut nihil illis desit ad insidias superandas, queis multiformes vaferrimi religionis hostes eos naufragium facere curabunt.

4. Episcopi, quum ad gravissimas partes officii pastoralis pertineat vigilantia super doctrina, qua fideles a tenera ætate imbuuntur, statim atque ad eorum aures pervenerit quemlibet ludimagistrum suo ministerio et auctoritate abuti falsas de religione notiones edocentem, mediis omnibus possibilibus, quin nulli parcant molestiæ, huic tanto malo occurrant, lupum rapacem e dominico grege arcendo, ut ita Christi Sponsæ fervidis votis obsecudent, quæ per ipsius caput Pium IX (2) hæc dixit: «Excubate, Venerabiles Fratres, omnibus publicis privatisque scholis, et, quantum in vobis est, omni ope et in-

(1) 47. —(2) Encycl. 8 Decemb. 1849.

dustria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicæ doctrinæ normam exigatur».

2. Parochi, quibus hæc maxima calamitas contigerit, postquam frustra et in irritum cesserint eorum labores ad magistros iniquitatis in via perditionis animarum detinendos, omni humano respectu posthabito, tantummodo majorem Dei gloriam zelantes, quantocius nos certiores faciant, qui, prout Dominus dederit, hoc perniciosum scandalum e medio populo tollere, quantum potuerimus, adlaborabimus.

3. Illi, quos Deus fortunaverit, in eorum parœciis ludimagistrum collocans benemoratam, religiosam, prudentem, et catholicam doctrinam cum zelo et scientia parvulis explicantem, omni ope satagant, ut in muneris adimpletione perseveret, existimationis signa et grati animi obsequia ei exhibendo, perpendentes quantum ex bona vel mala in scholis primariis tradita religionis et morum doctrina pendeat fructus spiritualis ex parochialibus curis percipiendus.

4. Qui non adeo commendabiles magistros in suis parochiis habuerint, non statim acri objurgatione et severitate immoderata eos tractent, animos exasperando, et fortassis in malitia confirmando; imo, suavitate, caritate, mansuetudine cum illis agant, quos pro sua prudentia et industria curent lucrifacere Christo, et in divino amore et animarum zelo incendere, vel saltem ab omni perversa doctrina longe habere.

5. Frequenter Parochi scholas, sive officiales, quod et a lege civili ipsis permittitur (1), sive particulares visitent, non tamquam rigidi censoris munus exercentes, sed cautius et omni civilitate adhibita, perscrutando quænam institutio religiosa pueris tradatur, quique libri ipsis legendi dentur; et dummodo quid minus doctrinæ catholicæ consonum, vel de ipsa parum curæ adhiberi perspiciant, magistrum, antequam

(1) R. O. 31 Mart. 1858; Lex instructionis publicæ 17 Julii 1857, art. 11.

ad alia media veniant, secreto et in caritate moneant, ut suo munere recte fungatur.

6. Magistros, quibus puerorum eruditio sit commendata, per viscera Domini Nostri Jesu Christi obtestamur ut animum intendant ad sui muneris momentum, ex cujus diversa executione tam dissimiles effectus religioni et societati derivantur: diligentissimi sint et accuratissimi in catechismo, prout tenentur (1), explicando; nullam offendiculi occasionem adolescentulis malo exemplo tradant; eos denique, sicuti et ipsæ leges civiles præscribunt (2), diebus dominicis et festis ad Missam parochialem ducant, atque, stato tempore, ad tribunal pœnitentiæ et eucharisticam mensam, necnon preces cum illis in schola Deo fundant.

7. Patresfamilias, quorum *paternitas a Deo nominatur*, quorumque in filios amor inanis omnino ac crudelis esset, si de eorum æterna salute non cogitarent, non sufficiens fecisse credant, pueros talibus doctoribus tradendo, qui nihil positive religioni adversum proferant, sed, dum possint, mittant illos in scholas, ubi timor Domini, qui est initium sapientiæ, inculcatur, et plenius atque accuratius instructio religiosa accipitur, basis et pignus complementi officiorum, quibus filii erga parentes tenentur.

8. Denique tota cordis nostri detestatione reprobamus, ab iisque pueros arceri præcipimus, scholas illas, quæ *laicæ* audiunt, illasque omnes, in quibus de religione numquam sermo fit, vel catholicæ eadem, et non amplius, jura et veritas ac ceteris agnoscuntur: nam, verbis utentes Sanctissimi in Christo Patris Leonis XIII (3), «Ecclesia, integritatis et fidei custos, et vindex, quæ delata sibi a Deo, conditore suo, auctoritate debet ad sapientiam christianam universas vocare gen-

(1) Lex instructionis, art. 2.^o; ordo scholarum 26 Nov. 1838. =

(2) Ordo scholarum cap. 5; circul. Direction. General, instruction. publ. 4 Maj. 1875. = (3) Encycl. *Nobilissima*, 8 Februar. 1884.

tes, itemque sedulo videre, quibus excolatur præceptis institutisque juvenus, quæ in ipsius potestate sit, semper scholas, quas appellant *mixtas* vel *neutras*, aperte damnavit, monitis etiam atque etiam patribusfamilias, ut in re tanti momenti animum attenderent ad cavendum».



TITULUS VIII.

**De institutione religiosa in scholis
superioribus.**

Religione, ut plurimum, a scholis exulare coacta, nefarii homines, inquit vigilantissimus Ecclesiae Supremus Doctor Leo Papa XIII (1), «fallacis sapientiae astu christianam fidem in adolescentium animis extinguere, impietatisque facem succendere audaciter moliuntur». Sed, prout ipse alias monet (2), quo validius doctrinae catholicae adversarii incumbunt, ut juvenibus ea proponant, quae mentes obnubilent moresque corrumpant, «eo alacrius adnitendum est ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vi-geat». Eo magis quod, ut ejusdem Romani Pontificis verbis, in Encyclica Epistola *Aeterni Patris* (3), utamur, malorum causa, quae societatem premunt, in hoc consistit, «quod prava de divinis humanisque rebus placita, e scholis philosophorum jam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irreperint, communi plurimorum suffragio recepta. Cum enim insitum homini natura sit, ut in agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id et voluntas facile labitur».

4. Reprobamus igitur, et ab omnibus reprobari peroptamus, tamquam a Sancta Sede damnatas (4), propositiones illas, in quibus asseritur, quod (5) «Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juvenus christianae alicujus

(1) Encycl. «*Quod in novissimo*», 10 April. 1887. = (2) Encycl. «*Inscrutabili Dei consilio*», 21 April. 1878. = (3) 4 August. 1879. = (4) Encycl. «*Quanta cura*», 8 Decemb. 1864. = (5) Prop. 45.

rei publicæ instituitur, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum»; quodque (1), «catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam et terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet».

2. Plurima sunt, propter quæ minime probari potest ea studiorum publicorum ratio, quæ scientiam viarum Dei nolens, religiosam educationem omnino excludit; nam ut exponitur in instructione Sacræ Congregationis *Propagandæ Fidei* a Pio IX approbata (2), injuriam facit religioni, quasi nihili sit æstimanda; ansam præbet professoribus impiis, a vigilantia et auctoritate Ecclesiæ sejunctis, venenum hæreticæ doctrinæ tenellis juvenum mentibus infundendi, eo vel magis quod quædam disciplinæ, ut, alias tacendo, philosophia et historia, tradi nequeunt, quin de religione sermo instituat; denique ex ipsius hujuscemodi institutionis vel primis vel conspicuis defensoribus alii aperte dixerunt eam adversus christianismum esse adinventam, alii autem confessi posthac sunt nihil societati civili majorem proximioemque perniciem afferre.

3. Adnitendum maxime est, ut in dies crescat collegiorum numerus, in quibus studia ad normam religionis catholicæ exigantur, et spiritus ejusdem doctrinæ pervadat penitus universam rationem et methodum institutionis. Hæc Synodus in Domino congregata non potest quin summis laudibus prosequatur communitates religiosas, quæ, magno cum successu atque proventu singulari Ecclesiæ, societatis civilis, et tironum, vires omnes et nervos intendunt in juventutem ad Christum ducendam, seu, quod idem sonat, *educandam*: parentes vero quam impensissime oramus, ut, quatenus illis sit possi-

(1) Prop. 48. =(2) 24 Novemb. 1875.

bile, filios in institutis et universitatibus examinandos, sub disciplina ponant sacerdotum et religiosorum, qui juvenum scientificæ ac litterariæ eruditioni dicantur.

4. Quum in politica Constitutione hispana, quæ et quolibet actus publicos cujuscumque, præter catholicam, religionis prohibet, nulla sit dispositio permittens institutionem ab Ecclesiæ doctrina sejunctam aut vetitam; quum in Conventione inter Pium IX et Hispaniarum Reginam inita, postquam statum fuit (1) religionem catholicam esse *solam* religionem hispanicæ nationis, dicatur (2) «Consequenter, institutio in universitatibus, collegiis, seminariis, et scholis publicis ac privatis quibuscumque, erit in omnibus conformis doctrinæ ejusdem religionis catholicæ; atque hunc in finem Episcopi.... quibus munus est doctrinæ fidei ac morum, ac religiosæ juvenum educationi invigilare, in hujus muneris exercitio etiam circa scholas publicas nullatenus impediuntur»; quumque hoc ipsum pluries (3) a civili suprema potestate fuerit cognitum, approbatum ac denuo sancitum, dum cathedras pestilentiæ animadverterint in publicis gymnasiis, quæ Status catholicus catholicorum pecunia sustinet ac fovet, Gubernium de hoc tali scelere ac legum infractione statim certius faciant Episcopi (4), et mediis omnibus legalibus adhibitis, tam ipsi quam sui subditi fideles, non minori prudentia quam indefessa constantia et forti animo, dent operam, ut adeo perniciosum scandalum e populo eradicetur.

5. Ut omnes professores sint sicut plures, qui avitam fidem constantissime retinent, ejusque luculentissima et laudanda offerunt testimonia, pii laici et sacerdotes, quibus per ingenii potentiam ceteraque liceat, ad cathedras in universitatibus et institutis obtinendas oppositorum munere fungi ma-

(1) Art. 1. =(2) Art. 2. =(3) Lex Instruct. publ. ann. 1857, art. 295. Circul. 26 Februar. 1875, et R. O. 23 Oct. 1876. =(4) Lex instruct. publ. art. 296; R. O. 28 Jun. 1875.

xime expediret; atque oporteret, ut Episcopi, si quem in suis seminariis juvenem vere idoneum reperiant, ei necessaria large, pro posse, suppeditare festinent, ut professorem, ad juventutem christiane instituendam, esse tentet in Status scholis.



TITULUS IX.

De scriptoribus catholicis.

Gratissimum Divinae Majestati opus faciunt, ac de religione optime merentur qui ingenium acceptum a Domino in Ejus gloriam exercent, obsequium fidei rationabile esse monstrando, Ecclesiae jura viriliter defendendo, et pietatis fovendo amorem et cultum.

Nihil magis a nostro animo alienum, quam ut scriptoribus catholicis, quos ardenti caritate amplectimur, quorumque laborum inæstimabile pretium et utilitatem summam, praesenti tempestate, cognoscimus et experimur, quidquam de eorum jure detrahere velimus, et difficultates in nobilissimo scribendi exercitio creare: verumtamen, quo illorum operæ majores in Domino fructus afferant, placet hic aliqua de ipsorum in fide catholica defendenda partibus praelibare.

1. Ante omnia sanctum sit apud catholicos scriptores Episcoporum nomen. Neque licere sibi homines privati putent in ea, quæ sacri Pastores pro potestate decreverint, inquirere: ex quo sane magna perturbatio ordinis consequeretur, et non ferenda confusio (1).

2. Nequaquam Ecclesiae prosunt, sed suum munus in destructionem, non in ædificationem convertunt, qui dum illius tuitioni unice intentos esse dicunt, in catholicæ doctrinæ magistros sese erigunt, auctoritatem, quam scriptis propugnant, eorum, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, practice rejicientes, sicque mala, de quibus conqueruntur, augendo: in omnibus rebus, quæ religio-

(1) Leo XIII, Epist. *Cognita Nobis*, 1882.

nem, actionemque Ecclesiae in societate attingunt, «illorum est, mente ac voluntate, Episcopo suo Romanoque Pontifici prorsus subesse; horum imperata facere et nuntiare; incæptis toto pectore adhærescere; decretis parere, et ut ceteri pareant curare» (1).

3. Impietas est rem civilem a religiosa sejungere, quasi nil sit utrisque commune, nihilque utilitatis e religione civitati proveniat; verum maximopere scriptoribus catholicis curandum, ne religionem cum aliqua parte civili permisceant, ac veluti in unum confundant, usque adeo ut eos qui sint ex altera parte prope a catholico descivisse nomine asserant. «Hoc quidem est factiones politicas in augustum religionis campum perperam compellere; fraternam concordiam velle dirimere; funestæ incommodorum multitudini aditum januaque patefacere» (2).

4. Fortes in fide resistere debent scriptores catholici inimicis illius, qui ex patre diabolo sunt; nec prohibentur praelia Domini strenue præliari; nam «pulchrum est eos, qui catholicum nomen scriptis quotidianis defendunt, præ se ferre veritatis amorem constantem, minimeque timidum» (3).

5. Attamen, cum tam nobile et grave sit munus eorum, qui fidem scriptis tuendam assumunt, modus etiam gravis et nobilis adhibeatur oportet, ultra quem progredi nefas sit; præterea, qui a veritate aberrant, non ad illam diceriis, sed argumentis et suasionibus, Deo grato, redeunt; ad hoc, temperantiæ virtus, quæ omnes christianorum actus regere et informare debet, minime derelinquenda, cum de spirituali proximorum salute agitur procuranda. Jure igitur optimo a Nostro Sanctissimo Patre dictum fuit (4): «Pro sacris Ecclesiae juribus, pro catholicis doctrinis, non litigiosa disputatio sit,

(1) Leo XIII, Epist. *Tua*, 17 Jun. 1855. —(2) Idem, *Encycl. De animorum concordia inter Hispanos procuranda*. —(3) Idem, Epist. *Cognita Nobis*. —(4) *Encycl. Cum multa*, 8 Decemb. 1832.

sed moderata et temperans, quæ potius rationum pondere, quam stylo nimis vehementi et aspero victorem certaminis scriptorem efficiat».

6. Qui fidei operam navant, caveant, ut charitatem lædant, quæ major est: superbiam effugiant et jactantiam, nullatenus, dum semetipsos extollunt, ceteros deridendo et pendendo pro nihilo: in iis, quæ Deus hominum disputationi reliquit, non, pervicacia nimia et contentionis æstu, proprio judicio adhæreant, aliorum opinionationes rigide damnando: haudquaquam supremum Ecclesiæ judicium audeant prævenire, juxta ab Urbano VIII prudentissime præscripta: ubi ab alio scriptore catholico injuria affici censeant, ad Episcopum adeant, qui controversiam in charitate et prudentia dirimat: discipuli sunt Domini pacis; ne igitur suis intempestivis et inanis dissensionibus populo sanguine Christi coadunato occasionem scissuræ præbeant. «Concordiæ vero quum nihil sit tam contrarium, quam dictorum acerbitas, suspicionum temeritas, insimulationum iniquitas, quidquid est hujusmodi summa animi provisione fugere et odisse necesse est» (1).

7. Intolerabile est eos, qui christiana religione censentur, qui eadem in acie, sub Christo duce, certant, quique ad communem finem conspirant, sese mutuis injuriis afficere, ac vel catholice nomen alium aliis negare: omni itaque cura caveatur, ne «temere insimulentur, vel in suspicionem adducantur viri cæteroquin Ecclesiæ addicti, maxime autem qui in Ecclesia dignitate et potestate præcellunt.... Per se autem apparet hanc in falsas insimulationes quemlibet vocandi levitatem alieno nomini detrahere, mutuæ charitatis vincula relaxare» (2).

(1) Leo XIII. *Encycl. Cum multa.* =(2) *Epist. Licet multa*, 3 August. 1881.

TITULUS X.

De bonis libris divulgandis.

Nemini ignotum esse potest, quantum, hodiernis, temporibus, in hominum opiniones et actus influant scripta: ardor discendi et curiositas multitudinem pervadunt, et insatiabilis legendi cupiditas plurimos tenet: accedit, quod fidei inimici letiferum erroris venenum in hujuscemodi poculis propinant incautis: unde per se apparet permagni interesse libros evulgare ac spargere latissime, in quibus suis ipsorum armis adversarii profligentur, et communi legendi desiderio, absque morum et catholicæ doctrinæ damno, satisfiat.

1. Proinde subditos nostros, qui idonei inveniantur huic tanto operi, hortamur in Domino, ut cum talentis ab Ipso acceptis, utpote servi boni et fideles, operentur, memorantes quod, cui plus datur, plus exigitur, atque, ne tenebrarum filii filiis lucis prudentiores dicantur, Ecclesiæ necnon societatis jura, a sectariis oppugnata, pro virili defendant, scripta scriptis opponendo.

2. Illi, quos rebus domesticis abundare Deus fecerit, coram Ipso acceptabile opus persequantur, nummis opitulando scriptoribus vere catholicis, et libros orthodoxæ doctrinæ ac pietatis emendo, qui in vulgus distribuantur.

3. Siquidem, ut loquamur cum nunquam satis laudando Leone XIII (1), «ephemerides ad longe lateque pervagandum natæ, in obvii cujusque manus quotidie veniunt, et in opinionibus moribusque multitudinis non parum possunt», omnibus modis mediisque adnitendum est, ut folia periodica Ecclesiæ

(1) *Epist Cognita Nobis*, 25 Jan. 1882.

defensioni dicata faveantur, augeantur atque in populo propagentur.

4. Rationalismus et liberalismus, quod quidem nunquam satis flendum, in oppidis incolarum multitudine nobilibus diaria habent, per quæ virus suum exitiale in populum callide infundunt; ne illud eveniat, quod calumniæ et injuriæ in personas ac res catholicas non, ut primum proferuntur, retundi atque ad nihilum redigi queant, Episcopi pro viribus curent, ut in unaquaque Provinciæ hujus ecclesiasticæ diœcesi ephemeris, et, dummodo fieri liceat, quotidiana, si nondum sit, instituat sub eorum censura et approbatione, ad religionem catholicam propugnandam, absque ullo partium mere politicarum studio, et juxta pluries repetita regnantis Summi Pontificis monita saluberrima.

5. Omni ope et industria satagendum est, ut in majoribus oppidis, in iisque ubi plures sunt, qui libris delectantur, bibliothecæ constituantur catholicæ, quarum volumina, subscriptorum pecunia empta, et a piis viris donata, tradantur etiam in proprio domicilio legenda.

6. Libri, qui ad propagandas inter plebes doctrinas catholicas destinantur, parvæ molis, plurimum, sint; stylo facili et amœno conscribantur; non titulum religiosum vel pietatem redolentem in fronte ferant oportebit; et nullatenus rem politicam cum religiosa in unum confundant.

7. Hujuscemodi scripta ut ab omni hominum genere legantur omnino refert, quotque mediis zelus et prudentia suaserint, est procurandum: mittantur in carceres: inter fabricarum operarios gratis expendantur: in viæ ferreæ stationibus venales, licet modico pretio, prostent: parvulis et adolescentibus, tanquam præmium, vel in benevolentia signum, donentur: atque in ferreis vel cujusque generis communibus vehiculis, quasi obliti, derelinquantur, ut legi queant ab iis, qui itineri sese committunt.

TITULUS XI.

De approbatione librorum.

Episcopi in sacris eloquiis præcipiuntur (1) pascere gregem dominicum, eique attendere, ut qui a Spiritu Sancto sunt positi: debent itaque Christi ovibus bona indicare pascua, illasque a noxiis arcere: moderatores cum sint fidelium conscientiarum, quibus libris sunt usuri docere oportet, propterea quod isti mirum in modum in animos influunt; nam, ut dicebat Clemens XIII (2), «manent perpetuo, semper nobiscum sunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent, et eorum penetrant cubicula, ad quæ improbo et occulto auctori aditus non patet»: nec mores fovere, et fidem illæsam servare possent, si sententiam ferre nequirent de libris, per quos præcipue inimicus homo in dominico agro superseminat zizania. Quod si de scriptis post eorum tantum editionem iudicium pronuntiari permitteretur, non satis fuisset consultum animarum saluti, eo quod interim plures venenum in se lectione susciperent. Ex quibus patet luculentissime, cum Gregorio XVI loquentes (3), «quantopere falsa, temeraria.... ac fecunda malorum in christiano populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum, veluti gravem nimis et onerosam rejiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam prædicent a recti juris principiis abhorrere, jusque illius decernendæ habendæque audeant Ecclesiæ denegare».

4 *Regulæ indicis, quibus statuebatur* (4) «ut nullus

(1) Joan. 21; 1 Petr., 5; Act. 20. —(2) Constit. *Christianæ rei-publicæ*, 1766. —(3) Encycl. *Mirari vos*. —(4) Regul. 10.

liber, nullave scriptura imprimatur sine licentia Ordinarii», quum communi doctorum et Episcoporum suffragio modo nostræ ætati attemperato ut instaurarentur oporteret, et benigne a Pio IX (1), pro ditioni temporali pontificiæ subjectis regionibus jam essent mitigatæ, abrogatæ fuerunt a Leone XIII in prudentissima, quæ incipit: *Officiorum ac munerum* (2), Constitutione, una cum Observationibus, Instructionibus, Decretis, Monitis, et quibusvis aliis Summorum Pontificum hac de re statutis jussisque, sola excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida*. Hodie itaque «omnes fideles tenentur præviæ censuræ ecclesiasticæ eos saltem subjicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicam, aliasve hujusmodi materias religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generatim scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit» (3). Scriptores igitur, qui, catholico nomine gloriantes, libros in hac Provincia typis vulgant de præfatis disciplinis agentes, nostræ eos censuræ ac approbationi submittant.

2. Ad fidelum spiritualem ædificationem, atque ut propriæ conscientiæ securitati melius consulant, præstaret, ut catholici scriptores omnia omnino opera examini et correctioni Ordinariorum subderent; hocque, quod rogamus laicos, præcipimus, in virtute sanctæ obedientiæ, nostris clericis ac Seminariorum alumniis; siquidem illis a Leone XIII prohibetur hujusmodi libros edere *inconsultis Ordinariis*, et periodica moderanda suscipere.

3. Etiam libris parvi ponderis vel momenti concedi potest et inscribi ecclesiastica approbatio; hæc autem nonnisi conformitatem cum doctrina catholica de fide et moribus exprimat, convenit. In majoribus operibus apponi quit Theologorum cen-

(1) 2 Jun. 1848. —(2) 22 Januar. 1896. —(3) Const. *Officiorum ac munerum*, tit, 2, cap. 3.

sura, in qua, adhibita tamen omni animi dexteritate, disseratur etiam, si opportunum fore existimetur, de libri scientificis et litterariis qualitatibus, dummodo in laudem tandem sit scriptoris catholici. Illi vero, quibus examen iudiciumque librorum demandantur, ob oculos in suo munere exsequendo habeant monita prudentissima, quæ leguntur in Bulla «*Sollicita et provida*, Benedicti XIV (1).

4. Sacræ Inquisitionis Congregatio ab Episcopis Helvetiæ consulta (2), edixit ephemerides censuræ Ordinariorum subjici, etiam quoad opiniones politicas, et non tantum quoad articulos doctrinales, verum etiam circa eos, in quibus facta narrantur. Quoniam autem præstat prævenire quam punire, maxime expedit, ut omnia folia periodica, quæ catholica velint haberi, censuræ ecclesiasticæ, priusquam in lucem prodeant, committantur.

5. Episcopi curam gerant, ut hujusmodi prævia censura minime evadat molesta, vel damnum temporale afferat folii periodici editoribus. Is vero sacerdos, qui in censorem eligatur, non minus prudentia quam ingenii vi et sacra eruditione præmineat; suaviter et comiter officium suum adimpleat; nec in illis, quæ libera sunt, propria placita, eo tantum quod sint sua, a periodici scripti compilatoribus sequi velit.

6. Denique ad vitanda gravia incommoda, quæ facile evenire quotidiana experientia ostendit, ac ne vituperetur ministerium eorum, qui omnibus sunt debitores, inhibemus, ne clerici absque nostra licentia de rebus politicis scribant; neque etiam, nobis inconsultis, de religiosis argumentis in politicis diariis, vel de qualibet materia in ephemeridibus, quæ approbationem ecclesiasticam non præ se ferunt.

(1) Ann. 1777. —(2) Ann. 1832.

TITULUS XII.

De libris vetitis.

Vel auctoritas civilis in omnibus excultis gentibus ad suum jus atque officium spectare existimavit igne comburere scripta illa, quæ societati vel individuís noxia cognoscerentur. Ecclesia catholica, cui divinus Fundator fidei depositum commisit, et de doctrina ab omnibus fidelibus tenenda iudicium, fallere ac falli nescium, a primis suis incunabulis interdixit, et flammis ustulari jussit libros adversus dogmata christiana et morum honestatem, ut ita filiorum bono prospiceret, minime vero quasi aliquid ipsa ex talibus impugnationibus formidaret, quippe ejus doctrina in Domini eloquiis fundatur, quæ casta sunt, igne purgata, probata septuplum, nihilque novi in eam excogitari potest, quod non centies jam protritum ab apologeticis scriptoribus fuerit.

4. Ecclesiæ igitur, quæ custos ac vindex est veræ religionis, ejus filii tuto et absque hæsitatione fidant, non protoparentes imitantes, qui ob gustatum arboris scientiæ boni et mali fructum mortem sibi consciverunt; inimicorum enim veritatis catholicæ libri sunt, ut plurimum, scribebat sanctæ memoriæ Pius IX (1), «apte compositi, ac falaciæ et artificii pleni», ad eos circumveniendos, qui non penitus fundamenta religionis cognita, vel intellectum sophismatum tenebris excutiendis assuetum habent; et tristissima sanè experientia indigitat, quot christiani perversarum lectionum laqueis irretiti a vero tramite desciverunt, atque in iniquitatis ceciderunt foveam, eo vel magis quod errores, qui omnibus voluptatibus

(1) *Encycl. Quo pluribus*. 1846.

habenam laxant, plus corruptam naturam humanam alliciunt, quam veritas, quæ illas cohibendas docet.

2. Nemo sese excusare velit, prætexendo quod id genus libros lectitat propter elegantiam styli, vim eloquentiæ, argumentationum subtilitatem, vel sententiarum venustatem et leporem; nam hæ litterariæ dotes fulgentiori scintillatione micant in quampluribus ab Ecclesia approbatis scriptis, nec ullus in matrem probra et convitia lætus audiret ob ornatum et facetiam, quibus exprimerentur.

3. Injurius in Ecclesiam existit, qui, ejusdem magisterium respuens, opera ab illa vetita perlegere audet. Qui scienter legit sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, sicuti eosdem libros retinentes, imprimentes et quomolibet defendentes, excommunicationem latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrunt (1).

4. Ut parochi fidelibus responsura dare possint, et docere utrum sit an non aliquis liber a Sancta Sede prohibitus, præter decreta generalia de prohibitione librorum a Leone XIII edita, oportet ut cathalogum acquirant operum a Sacris Congregationibus interdictorum, atque diligentissime notent quæ postea tanquam ab ipsis condemnata folia periodica ecclesiastica recenseant.

5. Præter Romanum Pontificem, cujus decreta universos ac singulos Christi fideles obligant, possunt Episcopi, sub pœna peccati mortalis incurrendi, prohibere ne sui diocœsanæ quædam scripta legant, quum hoc ad officium suum pertineat gregis dominici portionem pascendi, nec semper, qua opus est celeritate, librorum noxiæ lectionis notitia ad Romam pervenire detur. Dum aliquis Antistes quodlibet opus proscribendum judicavit, catholicarum ephemeridum directores pro-

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, Pii IX.

hibitionem illico notam faciant, quo facilius ad omnium cognitionem perducatur, ne propter ignorantiam quospiam mortiferis doctrinis venenari contingat.

6. Qui facultatem Apostolicam prohibitos libros legendi obtinuerint, non indulti prætergrediantur limites: caute recon-
dant opera illicita, ne a licentiam non habentibus legantur: et caveant ne, ipsis defunctis, ceteris tales libri permixti ad hæ-
redes transeant.

7. Plures sunt libri, qui, etsi non expressis verbis ab ecclesiastica auctoritate damnati, a jure ipso naturali, propter perversionis periculum, quod, ne in illo pereant, amare non debent qui in veritate ac virtute permanere volunt, prohibentur. Confessarii toto pectore incumbant, ut suos pœnitentes, maxime juniores, a libris retrahant, in quorum lectione discrimen sit castitati: rigore prudenti hac in re utantur; et in dubio an quædam fabella amatoria sit necne permittenda, negativam partem amplectantur.

8 Quod de libris dicimus, potiori ratione dicendum est de ephemeridibus seu foliis periodicis, quia facilius et frequentius in manus veniunt lectorum. Vitanda ergo sunt folia quæ contra fidem aut bonos mores scribuntur, vel opiniones aut doctrinas quomodocumque ab Ecclesia damnatas profitentur seu propugnant.



TITULUS XIII.

De protestantismo.

Hæreses omnes, quas diaboli invidia in Ecclesiam suscitavit, hoc ipso ostendentes quod in veritate, quæ in æternum permanet, non erant fundatæ, perierunt, siquidem adversus societatem a Christo institutam portæ inferi nequeunt prævalere: protestantismus, qui superiorum sectarum nequitiam innovavit, evanescet etiam, quemadmodum defuncti sunt, qui quærebant animam pueri Jesu; nec hodie nisi umbram vitæ, ab auctoritate temporali donatam, conservat. Attamen perdita in nostra quidem dilectissima patria, cleri ac populi ingenti cum mœrore, unitate illa catholica, quæ hispanarum gloriarum inenarrabilium basis et corona fuit, non raro contingit, ut exteri iniquitatis pro pane lucrando doctores nostras ad oras appellent, ut si protestantium non augeant, quod in Hispania perdifficile est, catholicorum saltem numerum minuant.

4. Expediit itaque, quum, dicente Leone Magno (1), «magna sit pietas prodere latebras impiorum», ut clerici, ad fideles rite et pro opportunitate docendos, probe noscant novitatem hujusmodi sectæ, perditam vitam doctorum, originem infandam rebellionis, absurdum manifestum dogmatum, doctrinæ moralis abominamenta, dissidia et rixas inter coryphæos, variationes, dubia et anxietates in fundatoribus, in pseudo-Reformationis factionibus innumeris ac inevitabiliter in unoquoque sectatore, mala societati inde proventa, irreligiositatem exortam, ac missionum apud infideles sterilitatem.

(1) Serm. 8.

2. Statim ut aliquis pastor protestans in quapia parochia hæreticæ prædicationis virus diffundere adnitatur, Episcopum de hoc tam gravi malo curatores animarum faciant certiozem, qui pro sua prudentia ei mederi festinabit. Si talis veritatis inimicus, quod nonnumquam accidit, vel in minimo sua agendi ratione ultra fines in Status Constitutione præfixos progrediatur, fortitudine et constantia Ordinarii a temporalium rectoribus poscant et, quantum possint, exigant ut munus adimpleant, et legis transgressionem impediant.

3. Scholis protestantibus parochi opponant explicationem catechisticam sufficienti extensione traditam; inani novatorum blateratui pastoraalem prædicationem, quæ catholicæ religionis intemeratam veritatem perspicue ac solide ostendat; libris perversis, in quibus reformatorum ineptiæ impudenter suadentur, pagellas et opuscula gratis omnino vel exiguo pretio in populo distribuenda, quæ claro in lumine ad omnium captum reponant orthodoxam doctrinam.

4. Faciant demum, qui animarum curam sibi habent concreditam, ut omnes subditi sacramento Confirmationis, ut primum possint, muniantur, quo, tamquam strenui equites ad inimicorum insidias superandas, parentur: sine fide impossibile esse placere Deo illos doceant; cum eis, dum publice orant, gratias Domino referant, qui in vera Ecclesia nasci dedit, simulque poscant, ut populum in sancta religione conservare dignetur: pietatem denique et speciatim Sacramentorum frequentiam foveant; nam, qui in vitiorum cœno et carnis immunditiis volutantur, majori in discrimine constituuntur eas doctrinas sectandi, quæ soli fidei, operibus exclusis, justificationem tribuunt et credenti fortiter fortius peccare permittunt.

5. Solent protestantes Biblia in lingua vernacula gratuito aut parvi fidelibus elargiri, hoc scopo intento, ut spiritu privato unusquisque divina verba interpretetur, Eccle-

siaë auctoritatem rejiciendo, cujus est, justa Tridentinum Concilium (1), judicare de vero sensu Scripturarum Sanctarum, et suam sibi particularem religionem cudat. Jure meritoque proinde vetitæ sunt societates biblicæ institutæ ad edendos et expendendos libros sacros, vel mutilos et adulteratos, vel saltem ad vulgarem sermonem versos absque annotationibus ex Sanctis Patribus et doctoribus catholicis desumptis. Si quis ergo hujusmodi prohibita Biblia habeat, incunctanter confessario aut p̄rocho tradat, aut ea ipse comburat.

(1) Sess. 4.



TITULUS XIV.

De liberalismo.

*M*agna hæresis seculi præsentis appellatur liberalismus, qui ceteras omnes fovet ac propagari contendit, atque ad populorum regimen applicat errores adversus Ecclesiam ab ejus anterioribus inimicis inventos, cujusque sectarii, dicenti Leone XIII in Encyclica *Libertas*, «Luciferum imitati, libertatis nomine absurdam quamdam consecantur et meram licentiam».

1. Hanc exitiosam pestem, quæ dominicum gregem adeo atrociter ac varie invadit, ab ovibus nostræ pastorali sollicitudini commissis propulsare intendentes, cum immortalî Pio IX eorum damnamus doctrinam, qui asserunt Ecclesiam non esse veram perfectamque societatem, set ad civilem potestatem pertinere illius jura definire (1); nec auctoritatem suam exercere debere absque civilis Gubernii venia et assensu (2); atque civilem auctoritatem posse se immiscere rebus, quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent (3); proindeque, in conflictu legum utriusque potestatis jus civile prævalere (4). Hæ assertiones, ex protestantismo exortæ, evidenter cum ratione pugnant. Regiminis politici forma institutionis humanæ est; ecclesiastici vero divinæ: respublica variabilis apparet, Ecclesia autem mutationem intrinsecam non patitur: societas civilis temporali, sed religiosa æternæ hominum salutis consulit: illa pro diversis locis diversa est,

(1) Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decemb. 1854; alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decemb. 1860. = (2) Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 Septb. 1861. = (3) Alloc. *In Consistoriali*, 1 Novemb. 1850: Alloc. *Maxima quidem*, 9 Jun. 1832. = (4) Litter. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 August. 1851.

diversaque regitur suprema potestate; verum hæc una eademque ubilibet manet, sub Romani Episcopi imperio, et nedum de imperatorum, de eorum nempe, qui nomen ipsum christianum omnino delere volebant, consensu fundata ac propagata fuerit, semper cum Apostolis dixit obedire oportere Deo magis quam hominibus (1), a quo munus accepit pascendi sub uno Pastore Supremo agnos et oves Christi, ideoque et ipsos reges et principes christianos: demum sicut beatitudo temporalis æternæ subditur beatitudini, sic Status, qui illam quærit, Ecclesiæ subjici debet, quæ ad hanc ordinatur.

2. Apostolica etiam columna veritatis innixi (2), detestatur liberalismum *moderatum*, qui fatendo potestati civili Ecclesiam non subjici, audacter propugnat ab Statu esse sejungendam: quum enim Ecclesiæ et Status unus idemque sit auctor, Deus, non utriusque omnimoda separatio a ratione postulatur, sed ordo, harmonia, alteri alterius subordinatio, et mutua conspiratio et auxilium. Iidem sunt cives societatis religiosæ et politicæ societatis, quarum igitur separatio, dum inter illas oppositionem et luctam exurgere contigerit, maximam perturbationem subditis afferret, qui nescirent cui obediendum, si non eis perspectum esset quemadmodum animæ corpus, *temporalem auctoritatem*, quæ quidem in suo ordine independens est, *spirituali subjici potestati*, prout in Bulla: *Unam Sanctam* (3) edocuit Bonifacius VIII.

3. Damnatum (4) quoque declaramus perversissimum illud placitum, quod, sub titulo progressus, vult ut humana societas constituatur ac gubernetur absque ullo respectu ad religionem, quasi nec ista existeret. Hoc sane parvipendere est vel finem ipsius civilis societatis, felicitatem nempe temporalem, quæ in Dei cognitione et amore, quem religio co-

(1) Act. Apost. 5, 29. —(2) Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septb. 1852.
—(3) Extravag. Comm. lib. 1, tit. 8. —(4) Pius IX, *Encycl. Quanta cura*, 8 Decemb. 1864.

gnoscere et amare docet, præcipue consistit: sic, religione, quæ hominem Deo ligat, spreta, vis legum invocari nequiret, nam quod obligat, est superius obligato, et homo solum Deum superiorem habet: populi, præterea, nomine Dei, a quo omnis potestas est, non gubernati, per metum et violentiam tantummodo ad parendum sunt cogendi, quo revolutionibus aditus aperitur, simul atque subditi vim vi repellere possunt.

4. Ab omnibus reprobari volumus eorum subdolum systema, qui *catholico-liberales* dicuntur, quique volentes jungere lucem cum tenebris, Christumque ad Belial convenire (1), clamantes: *Pax, pax; et non erat pax* (2), atque obliviscentes quod nemo potest duobus dominis servire (3), «dissidia, ajebat Pius IX (4), serunt inter fratres, unitatis robor hostibus inexpugnabile dissolvunt»; et præterea, illo etiam advertente (5), «laicæ potestati spiritualia invadenti blandiuntur, animosque in obsequium, aut saltem in tolerantiam iniquissimarum legum inclinant».

5 Nec tanquam laudabile habendum, quod in catholici nominis regionibus lege caveatur, «ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere (6)». Legibus namque sancire libertatem cultus idem sonat ac sancire libertatem erroris, cum unus tantum cultus possit esse verus, sicut una est veritas, et favere disseminationi impietatis cum subditorum spirituali periculo.

6. Iisdem de causis reprobanda (7) plena potestas omnibus attributa quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi; quippe unusquisque jus habet, ne decipiatur atque alliciatur in malum; quod jus læditur

(1) 2 ad Cor. 6, 15. =(2) Jerem. 6, 14. =(3) Math. 6, 24. =(4) Brev. 9 Septb. 1875 ad Convent. Cathol. Florent. =(5) Brev. 6 Mart. 1873 ad Circul. Sancti Ambrosii Mediolan. =(6) Syllab. prop. 78. =(7) Alloc. Pii IX *Numquam fore*, 15 Decemb. 1856.

absque dubio per libertatem cathedræ ac preli, nam non omnes sophismata a solidis ratiociniis possunt secernere, et humana natura, per peccatum originis lapsa, facilius ad ea inclinât, quæ passionibus indulgent.

7. Tandem damnata est (1) propositio, quæ tenet Romanum Pontificem: posse ac debere cum progressu et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. Sed nomine, ut patet, *progressus* ac *recentis civilitatis* non venit scientiarum, artium et industriæ augmen, nec quidquid honestum et congruum conditio et mutatio temporum invexere. Similiter, nec liberalismus confundendus est cum tyrannidis reprobatione vel detestatione gubernii, quod vocant, absoluti.

8. Prædicatores, quemadmodum adversus ceteros errores, contra liberalismum verba non faciant, quin id, de quo sunt loquendi, satis cognoscant: caveant omnino, ne sub colore liberalismum impugnandi, quasdam partes politicas extollere unice conentur: omni cura utantur, ne majorem confusionem et obscuritatem, propter nimiam brevitem sermonis, vel non satis meditata expressiones, auditorum intellectibus ingerant. Confessarii denique, dum aliquod dubium in practicorum causuum resolutione habeant, Episcopi consilium rogent.

(1) Alloc. Pii IX *Jamdudum cernimus*, 18 Mart. 1861.



TITULUS XV.

De aliis nostræ ætatis erroribus.

Christus Ecclesiam superædificavit super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, Ipso summo angulari lapide (1), super quem qui ceciderit, confringetur (2); cum ea est omnibus diebus usque ad consummationem seculi (3), illique promisit alium Paraclitum, ut maneat in æternum (4), Spiritum veritatis (5), qui docebit omnem veritatem (6). Ipse Dominus, qui minime diversus est (7), et unus mediator existit (8), voluit ut unum sit ovile (9), et omnes sint unum (10), sicut una est fides (11): itaque eos rejiciet, qui non sunt ex ovibus suis (12), et qui non credit jam judicatus est (13), et condemnabitur (14).

Fideles igitur summopere hortamur, ut fortes sint in fide (15), quæ salutis initium et radix totius justificationis est (16), ac sine qua impossibile est ad filiorum Dei consortium pervenire; et non abs re arbitramur eis patefacere, ut devitentur, præcipuos temporis præsentis errores Ecclesiæ catholicæ adversantes, quæ columna est et firmamentum veritatis (17).

4. Credentes ergo in Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cæli et terræ, damnamus *pantheismum*, vetustum errorem, nostro tamen in seculo plurimos illudentem atque a veritatis via separantem, etiamsi nihil absurdius fingi possit:

(1) Ephes. 2, 20. =(2) Math. 21. 44. =(3) Ibid. 28 20. =(4) Joann. 14, 16. =(5) Ibid. 14, 17. =(6) Ibid. 14, 26. =(7) 1. Cor. 1, 13. =(8) 1 Tim. 2, 5. =(9) Joann. 10. 16. =(10) Ibid. 17, 11. =(11) Ephes. 4, 5. =(12) Joann. 10, 26. (13) Ibid. 3, 18. =(14) Marc. 16, 16. =(15) 1 Petr. 5, 9. =(16) Conc. Trident. sess. 6, cap. 8. =(17) 1 Tim., 3, 15.

Deum namque ens simplicissimum et perfectissimum re quidem vera negat, dum ab Eo omnia emanare affirmat, et mundum hunc imperfectum Deum vocat, cui etiam, licet sanctissimo, omnia existentia mala essent tribuenda: experientiæ et communi sensui repugnat, unicam substantiam admittens, cui præterea contradictoria, quæ videntur, inessent attributa: libertatem et personalitatem tollit, quum, in hac impia sententia, actiones humanæ nihil essent præter divinitatis modos: et omnia in unica substantia identificando, societatem evertit, in qua *alii* debent esse qui jus habeant imperandi, *alii* vero qui officio teneantur parendi.

2. Credentes carnis resurrectionem, Christi vivos et mortuos iudicaturi adventum, et vitam æternam, damnamus putridum *materialismum*, qui, magno et fucato hodie apparatu scientifico, hominem, qui paulo minus ab angelis in honore est, equo et mulo comparat, quibus non est intellectus, filium Dei simii filium faciens; et dum animæ spiritualitatem negat, et cum corpore dissolvi affirmat, natura insito desiderio universali atque ardentissimo immortalis vitæ et inexhaustæ beatitudinis adipiscendæ contradicit; simulque hominis operationes per mechanicas materiæ vires explicans, libertatem, proindeque, præmii et pœnæ rationem, atque virtutem inter et scelus differentiam inficiatur, in aliaque absurda sese conjicit, quæ cum intimo sensu, cum veris scientiarum principiis, cum gentium omnium consensione ac cum ipso societatis civilis bono prima fronte et re veritatis omnino pugnant.

3. Credentes Dei Filio, qui propter nostram salutem descendit de cœlis, et Spiritui Sancto, qui loquutus est per prophetas, damnamus *naturalismum*, qui nonnisi naturalis ordinis veritates admittit, *deismum*, qui Deum de hominibus nullam curam gerentem supponit, et *rationalismum*, qui rationi solum insistens, cujus vires supra modum extollit, ei refragari Christi doctrinam stultissime blaterat, quem tamquam

unice hominem, licet virtute ac sapientia cœvos longe præcellentem, audacter traducit. Quum absque positiva revelatione in idolatriam inciderint populi, moralem legem neque bene cognoverint neque integre servaverint, atque nusquam terrarum ad veram civilem culturam pervenerint, quin illis contra errorem et pravitatem sufficiens præsidium esset vel sapientia philosophorum, vel legislatorum et gubernantium prudentia atque imperium; quumque per originale peccatum, cujus memoria apud omnes gentes manet, et effectus in se unusquisque experitur ac dolet, humanum genus ex pristina illa excidisset, ad quam omnium parens fuerat evector, status indebiti ac supernaturalis dignitate, mundum diligens, ad homines edocendos et redimendos, misit Deus Filium suum Unigenitum, qui incarnatus est, et divinam suam missionem confirmavit miraculis, prophetiis, vitæ sanctitate, excellentia doctrinæ, propria a mortuis tertio die resurrectione, atque in cœlum ascensione gloriosa, proindeque nihil potuit docere, et suæ Ecclesiæ custodiendum tradere, quod contra rationem sit, quæ ab ipso Deo originem ducit, cujusque veritates veritatibus aliis, revelatis nempe, opponi nequeunt.

4. Credentes in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, damnamus *ecclecticismum*, qui adstruit nullo in systemate, neque in ipso christianismo, reperiri veritatem omnibus numeris absolutam, sed ex omnibus sapientibus et traditionibus seligenda esse, quæ vera cognoscantur; *progressismum*, qui, ceu philosophicum inventum religionem respiciens, catholicam, hodiernis necessitatibus non respondentem, vult perficiendam; et *latitudinarismum*, *indifferentismum*, et *tolerantismum* eorum, qui omnes religionis formas tamquam varia idiomata considerantes, quibus Deus æque laudatur, summo numini injuriam afferunt credendo indifferens Ei esse quidquid de ipso sentiatur; notionem veritatis subvertunt, quæ una est atque indivisibilis; Christo

adversantur, juxta quem, qui non est cum Illo, contra Illum est (1); et omnes religiones veras proclamando, omnes reapse tamquam falsas et inutiles habent, viam ita atheismo et scepticismo pandendo.

5. Credentes libros integros, cum omnibus suis partibus, qui in canone Concilii Tridentini (2) continentur, Deum habere auctorem, ut cuilibet, animo a præjudiciis exuto, illos legenti indubitate patebit, temeraria illa et impia interpretationis systemata damnamus, quæ modo naturali explicare contendunt miracula et mysteria illic narrata; vel ipsa facta naturalia perfricata facie negant, nihil aliud in eis videntes quam pœtarum fictiones vel mytos morales.

(1) Math. 12, 30. =(2) Sess. 4.



TITULUS XVI.

De socialistarum sectis.

Apud omnes gentes jus possidendi quæ legitime adquiruntur, a primævis jam hominibus exercitum, tamquam certissimum et a natura immediate exortum habitum fuit, eo quod unusquisque vitam conservare tenetur, ideoque, bonorum possessione, in posterum prospicere; ad suam ipsius in mundo felicitatem, spirituali perfectioni studere debet, quæ quantum impediretur nemo non videt, si bonis stabilibus privati quotidie ad victum omnes laborare cogentur; facultatem demum habet activitatem naturalem explicandi, proindeque ejusdem opera *sua* faciendi, in quibus etiam propriæ personalitatis veluti imago resplendet.

1. Attamen, miserrima hac nostra ætate *communismus*, qui omnia bona esse communia asseverat; *socialismus*, qui Statum ceu verum rerum dominum, cives autem quasi meros administratores considerat; *radicalismus*, qui in omne regimen politicum insurgit; *anarchismus* et *nihilismus*, qui media vel sceleratissima commendant atque adhibent ad ordinem sociale perturbandum et evertendum, intimos societatis artus pervadunt, eorumque asseclæ, testante Leone XIII (1), «per universum orbem diffusi, et iniquo inter se fœdere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventuum tenebris præsidium quærunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, quod jam pridem inierunt, consilium cujuslibet civilis societatis fundamenta convellendi perficere adnituntur».

2. Peropportune itaque postremi Romani Pontifices, præ-

(1) Encycl. *Quod Apostolici muneris*. 28 Decemb. 1878.

sertim autem qui Petri navis hodie gubernacula vigilantissime tenet, iterum atque iterum damnarunt hos teterrimos errores, qui ordinem a Deo sancitum diruere insano conamine moliuntur; societatem, quæ in jure proprietatis ad commercium et mutuas hominum relationes fundatur, e medio tollere tentant, et æqualitatem inducere volunt, propter diversitatem bonorum naturæ impossibilem, vel saltem quæ, attentis humanis cupiditatibus et plurium vitiis, brevi ac miserrime finiret, utut Status, per tyrannidem vel ipsis ethnicis imperatoribus inauditam, omnia possideret bona, eorumque redditus et fructus æque inter cives distribuere intenderet, potissimos sic humanæ stimulos activitatis supprimendo.

3. Quoniam autem inter operarios, artifices proletariosque hujusmodi sectæ, locupletibus invidiam conflantes, sua excidii instrumenta quærunt, frequenter verbum divinum annuntiantes pauperibus inculcent patientiam, quæ necessaria est, exemplum Christi ostendendo, qui, omnium cum esset creator, egestatem fuit amplexus, et panem non otiosus, sed sudore vultus sui, comedit, quique pauperes beatos dixit, et facilius quam divites cælum ingredi posse docuit. Pariter et locupletes moneantur de excellentia elemosynæ, quæ a peccato liberat; de obligatione pauperibus superflua erogandi, et de pœna in extremo judicio decernenda in eos, qui dum Christum, cujus divinam in terris gerunt personam egeni (1), nudum aut esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut in carcere, aut infirmum viderunt, non Ei ministravere, mercedem ita spernendo in cœlis accipendam ab illis, qui vel potum aquæ frigidæ, in nomine Jesu, amicis Hujus, nempe pauperibus, dederint.

4. In locis ubi plures fabri sint, adlaborent parochi ad illos instructione religiosa a socialistarum seductionibus tutandos ac præmuniendos; eorum fidem pietatemque foveant; si concioni, quæ in Missa parochiali habetur, non interfuerint,

(1) Math. 25, 45.

ipsos, pro opportunitate, extra Ecclesiam, de animæ negotio, uno porro necessario, in charitate alloquantur; opuscula tandem et folia periodica, huic hominum generi specialiter accommodata et scripta, profuse, pro facultatibus, impertiant.

5. Opificum catholicos cœtus, quorum aliqui jam in nostra Provincia insigni cum fructu fundati fuere, curent Episcopi ut civitatibus populosis instituantur, ad hos homines, quos socialistarum sectæ in societatis perniciem trahere toto pectore incumbant, in officio continendos.

6. Ad instar collegiorum, quibus, medio ævo, fabri adscribebantur, vel artificum universitatum, excitanda sunt, juxta a Sancta Romana et Universali Inquisitione Sacrorum (1) Antistitibus commendata, eorum, qui operam locant, et de fructu manuum suarum vivunt, cuilibet arti, industriæ vel mechanico labori dicati, sodalitia adscito sibi cœlesti Patrono, quorum socii «religionis officia edoceantur et obeant, et mutuo sibi sint auxilio et adjutorio», societatum leges Ordinario proponente vel approbante.

7. Ad eorum miseriam sublevandam, qui mercede manuum inopiam tolerant, ad proletariorum calamitatibus occurrendum, quos vafre socialismus, melioris fortunæ spe, discipulos suos reddere quærit, in id omni animi nisu ac contentione incumbendum est, ut societas, quæ a Sancto Vincentio nomen accipit, in dies crescat et propagetur, de qua has laudes scripsit Leo XIII (2): «Tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque admirabili: quæ, quo minus videri vult, eo est ad charitatem christianam melior, ad miseriam levamen opportunior».

8. Denique, quoniam compositio dissidiorum jurgiorumque, quæ dominos inter et mercenarios exorta hodiernam societatem conturbant, eique imminentem stragem minitantur, cleri lumen et operationem deprecatur, curandum est, ut in

(1) 10 Maj. 1884. = (2) *Encycl. Humanum genus*, 20 Aprilis 1887.

Seminariis quæstiones, quæ ad æconomiam politicam, patronorum operariorumque reciproca jura et officia, atque universim ad recentiorum problematum socialium resolutionem spectant, ea, qua par est, perspicuitate atque extensione explicentur, pro norma sumendo vere mirabilem, ac dignam plane quæ aureis litteris inscribatur, Encyclicam Epistolam, cujus sunt prima verba: *Novarum rerum*, ubi *de conditione opificum* ac de dissensionibus inter eos, qui rem, et qui operam præstant, de causis hujus tanti mali, deque ejusdem remediis, sapientissime Leo XIII disserit.



TITULUS XVII.

De massonismo.

Massonicam sectam ineffabili odio abominantes, volentesque ut in eadem summa detestatione ab universo populo nostræ quidem sollicitudini concedito semper habeatur, vestigia pre-mendo infallibilis catholicæ veritatis Magistri, cujus, teste Sacra Inquisitionis Congregatione (1), mens est, ut ejusdem adversus massonismum Litteræ Encyclicæ «quam diligentissime evulgentur», sequentia nota facimus.

1. Qui Ecclesiæ perniciem afferre infelici astu conantur, simul conspirant, ut scriptum legimus in eruditissima Encyclica: *Humanum genus* (2), «auctore et adjutrice ea, quam massonismum appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate»; quæ usque adeo sæculi cum dimidio spatio crevit, ut inferendo sese per audaciam dolumque in omnes reipublicæ ordines, «tantum jam posse cæpit, ut prope dominari in civitatibus videatur».

2. Constitutio ejus tenebrosæ sectæ eam summo in gradu abominabilem efficit; quippe «simulare et velle in occultis latere; obligare sibi homines, tanquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata causa; alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere; armare ad cædes dextras, quæsita impunitate peccandi, immanitas quædam est, quam rerum natura non patitur».

3. Massonismi doctrina apparet naturalismo saturata, ejusque præcipua dogmata «tam valde a ratione ac tam manifesto discrepant, ut nihil posset esse perversius. Religionem

(1) Instruct. 10 Maj. 1884. =(2) 20 April. 1884.

et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti sæculorum intervallo revocare, insignis stultitiæ est impietatisque audacissimæ. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repudientur per Jesum Christum benigne parta.... Similiter illud alterum, quod massones vehementer copantur, recti atque honesti præcipua fundamenta evertere, adjutoresque se præbere iis, qui, more pecudum, quodque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum impellere».

4. Perniciosissima est ipsi civili societati sectæ massonicæ lues, quæ per ejusdem venas dirissime serpit: nam docet licere «principes de gradu dejici vel invitos....; omnia in libero populo esse....; fontem omnium jurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem»; atque expedit viam «audacioribus non paucis ad pejora præcipitantibus».

5. Ut autem huic gravissimo et adeo pervagato malo opportuna remedia adhibeantur, peroptamus, ab eisque illud poscimus, ut qui a donorum omnium largitore Deo facultatem scribendi ad cæterorum instructionem acceperint, clament, et non cessent, adversum hanc religioni ac societati infensissimam adunationem, propatulo ponendo ejus et doctrinarum et factorum incredibilem pravitatem, et artificia in blandiendo et alliciendo; non tamen illico cuilibet massoni ad Ecclesiam converso cæcam fidem habentes, sed ex puris atque ad rem conferentibus fontibus, qui maxime abundant, indubitatas assertiones ac solidissima argumenta sumendo.

6. Parochi et confessarii fideles commonefaciant de fœditate et periculis hujus infandæ consociationis, quam tot et toties Christi Vicarii damnationis mucrone icerunt; eosque doceant, ex Constitutione *Apostolicæ Sedis* Pii IX,

excommunicatione Romano Pontici simpliciter reservatæ subjacere nomen dantes sectis massonicis, qui iisdem qualemcumque favorem præstant, et, donec non denuntiaverint, qui illarum occultos coryphæos ac duces non denuntiant.

7. Cum hæ vaferrimæ societates secretæ non e vestigio fines suos ultimos ac subvertentes doctrinas initiatis prodant, sed tamquam associationes beneficentiæ vel mutui auxilii, religioni catholicæ minime inimicas, se ostendant, ne juvenes, aurem facilem præbentes dolosis insinuationibus, pestilenti sectæ adscribantur, parentes et magistri eos, ut salutari horrore tangantur, certiores faciant de illius execrabili, quæ verbis exprimi non potest, nequitia: immo, ut cum Summo Pontifice loquamur, «qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos, ut statuam, inscientibus, aut non auctore vel curione vel conscientia judice, nulla se unquam societate obligaturos».

8. Catholicos omnes nostræ ditionis per Dei amorem obtestamur, ut a funestis inter se excissionibus temperent propter diversum de rebus politicis sentiendi modum enatis: omnia posthabeant Religionis tuitioni: nullum ducem vel antesignanum contra vel supra Romanum Pontificem, et in ejusdem communionem Episcopos, sibi eligant. Dum vires suas inimici jungunt, et mutuam opem, massonismi nexu ac fœdere, sibi conferunt, pessime facit qui inter catholicos excitat et spargit dissidia, quique cum ceteris Ecclesiæ filiis, licet non unam de rebus christianismo indifferentibus opinionem habeant, sub iisdem ducibus arma ad terribilis massonicæ colligationis ictus repellendos non sumunt: igitur obsequium debitæ obedientiæ universi exhibeant omnium diligendissimo Patri, eos sic alloquenti: «Boni omnes amplissimam quamdam coëant opus est et agendi societatem et precandi. Ab eis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistent».

9. Animadvertendum est non modo sectam, quæ appellatur massonica, ab Apostolica Sede excommunicari, sed ceteras omnes ejusdem generis, quæ contra Ecclesiam vel civile Gubernium machinantur, sive clam, sive palam id fecerint, atque etiamsi juramentum secreti servandi non exigant, prout Sancti Officii Congregatio declaravit (1). Præter sectam *carbonariam* damnationi subjiciuntur, juxta supradictam Sacram Congregationem, *socii singulares*, et *filiî temperantiæ* (2), quibus accensendi sunt *internationales*, *mazziniani*, *clerico-liberales* et *solidarii*, propter scoporum identitatem.

10. Sunt denique nonnullæ societates, quas sub gravi piaculo ingredi non licet, cujusmodi sunt præsertim illæ omnes, Sancta Sede docente, «quæ a sectatoribus secretum nemini pandendum, et omnimodam obedientiam occultis ducibus præstandam jurejurando exigunt». Ubi vero de licitudine alicujus in specie associationis dubium fidelibus suboriatur, nullatenus ei nomen dare præsumant, inconsultis suæ conscientiæ moderatoribus et judicibus, qui etiam consilium in difficilibus casibus incunctanter ab Episcopis postulabunt.

(1) 5 Julii 1865. =(2) 21 August. 1850.



TITULUS XVIII.

De magnetismi et spiritismi superstitionibus.

Sancti Officii Sacra Congregatio, postquam de magnetismi experimentis sermonem fecerit, ex his comperiens novum a pluribus superstitionis genus invehi ad homines circumveniendos, excitari quam maxime vult (1) sollicitudinem, vigilantiam et zelum Episcoporum, ut «omnem impendant operam ad hujusmodi abusus reprimendos et evellendos».

1. Ut itaque muneri nostro pastorali hac in re faciamus satis, in memoriam fidelium in primis revocamus illam a Sancta Sede statutam regulam: videlicet, Ecclesiam, quæ vero progressui semper favit, non prohibere quin phænomenis magneticis studeatur ad scientias enucleandas, nec mortaliter vetitum esse merum actum adhibendi media physica aliunde licita, dummodo non tendat ad finem quomodolibet pravum, «remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione» (2).

2. Attamen *magnetismi* exercitium, prout a spiritistis fit et vulgo adhibetur, etiam tamquam ars medicinæ auxiliatrix et suppletoria, non licet: nec fidelibus permittitur consentire demittendos in statum somnambulismi magnetici; vel personas consulere illo modo magnetizatas, etiamsi habeatur prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito et implicito omnique santicæ interventioni (3). Deceptio hæreticalis est applicatio principiorum pure physicorum ad res et effectus vere super-

(1) 4 August. 1856. =(2) 27 Jun. 1840. =(3) S. Pœnitent. 1 Jul. 1841.

naturales, ut physice explicentur (1). Scandalum contra honestatem morum apparet in somnambulismi et claræ intuitionis præstigiis, quibus mulierculæ, «gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicerere effutiunt....., animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere» (2).

3. *Magnetismi animalis* in allato sensu damnationem recte atque in veritate fundatam esse, nemo est quin videat; sunt enim in illo, veridicis testimoniis comprobati, quidam mirabiles effectus, qui solis naturæ viribus tribui non possunt, nec auctores habent Angelos bonos, nisi cujuslibet perditii hominis vanæ et curiosæ voluntati subditos eos dicamus, quique idcirco non aliam præter operationem diabolicam existentiae rationem habent, et præterea, per summam tamen injuriam, ansam præbent detrahendi miraculorum auctoritati: modus vero hanc superstitionem exercendi omnino reprobaticius apparet; nam persona magnetizata propriæ voluntati nuntium dicit, et, durante somno, in magnetizantis potestate manet; morbi morsque ipsa aliquando ex magnetizatione sequuntur; propensio per illam ad turpissimas libidines solet gigni; et puellæ in earum magnetizatores plerumque vesano affectu rapiuntur.

4. Proximam cum magnetismo affinitatem habet hypnotismus vulgaris, atque, ut ipsi hypnotistæ fatentur, ab illo quoad substantiam non differt. Propterea, quæ de magnetismo dicta sunt, eadem de hypnotismi reprobatione dicta intelligantur, addita animadversione quod per hanc novam superstitionem libertas hypnotizati fere perimitur, et in propudiosa facta, quin etiam in atrociam crimina, hypnotizatus ad hypnotizantis nutum propellitur. Atque hæc causa fuit, ut execrabilis hypnotismi praxis a sæculari gubernio in aliquibus regionibus prohiberetur.

(1) C. S. Officii 28 Jul. 1847. —(2) S. C. Inquisit. 4 Aug. 1856.

5. Nec minoribus de causis damnata est (1) postrema magnetismi evolutio, spiritismus nempe, qui per tabulas rotantes primum, nunc demum mediorum ad instar quasdam personas adhibens, defunctos sciscitari, ab iisque responsa, etiam circa occulta et futura, obtinere prohalat. Qui hanc risu excipiendam, si dolenda non foret, superstitionem amplectuntur, in sectam coaluere, cujus secreta nonnisi initiatis panduntur sub pœna violatoribus infligenda; putridum materialismum re ipsa profitentur, etiamsi spiritus loquentes introducant, in quibus tantummodo *quintam materiæ essentialiam* vident; hypocrisi et mendacio procacissime utuntur, ut discipulos adducant post se; ad suicidium apertis verbis incitant; suis mendacibus et calumniosis responsionibus circa quasdam domesticas quæstiones magna jurgia in familia creant; et dum universas religiones eadem veneratione prosequi asserrunt, bellum infensissimum in catholicam exercent, impugnantque lapsum primi hominis cum omnibus illius consecrariis, et æternitatem gloriæ et pœnarum, quibus absurdas *reincarnationes* subrogant; atque horrendas blasphemias in ore spirituum ponunt.

6. Caveant itaque fideles ab hujusmodi vanis, impiissimis et periculo vel temporali plenis artibus: nec per jocum hasce consultationes faciant, nam, dicente Sancto Petro Chrysologo, qui jocari voluerit cum diabolo non poterit gaudere cum Christo: neque mere passive, ob solam curiositatem, protestando contra omnem satanicam interventionem, id genus experimentis et consultationibus interesse audeant, nam minime licet ex vetitis rebus animi oblectationem quærere.

7. Parochi ut primum has abominabiles divinationes in populo animadvertant, omni studio et industria in eas radicitus convellendas incumbant, et quum eis usus fuerit potentiore vel consilio vel adjutorio, rem ad Ordinarium deferant, et divinam opem enixis precibus implorent.

(1) C. S. Offic. 2 April. 1864.

TITULUS XIX.

De vulgaribus superstitionibus.

Qui integrum, quantum possimus, fidei ac pietatis depositum custodire debemus, omni cura sumus adlaboraturi, ne religioni intermiscetur vel minimum quod eam dehonestet aut ansam impiis præbeat illam carpendi, atque ut a populi devotione longe maneat remotum quod, ut divi Augustini verbis utamur (1), «in exterioribus solum consistit», et quidquid, cum Angelico Doctore loquentes (2), «quantum est de se non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentia inordinata refrenetur, aut etiam sit præter Dei et Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem».

1. Si quem igitur parochum, aut alium de clero, noverint Episcopi superstitionem quamlibet, turpis lucri gratia, vel propter aliam quamcumque rationem, intromittere vel alere, pœnis canonicis severe hoc puniant scandalum, quod a vero religionis spiritu fideles avertit, et occasio est inimicis cleri eum in universum insectandi.

2. Contra, animarum curatores virili animo obsistant cuilibet superstitionum generi, quæ in populi devotionem aut mores irreperint: dum quampiam insuetam praxim in pietatis exercitiis apud fideles suos ingeri noscant, quam certo reprobata esse ignorent, Episcopum commonefaciant, ab eoque iudicium expetant; interim, et alias, populum instruant de potestate Ecclesiæ, de obedientiæ virtute, de novitatum periculis, deque cultu Deo, ut Ille vul, reddendo.

(1) De vera religione. =(2) 2. 2. q. 93 a. 2

3. Memoretur prohibitos esse libros agentes de astrologia judiciaria, de divinatione futurorum contingentium, et ecclesiasticas benedictiones a Sacra Rituum Congregatione non approbatas, exorcismorum formulas diversas a contentis in Rituali, harum usum absque Ordinarii licentia, necnon Litanias, officia Sanctissimæ Virginis et Rosaria ab Apostolica Sede, sicut et Rituali Romano additiones, non approbata.

4. Nullus audeat nova miracula circumferre absque recognitione et approbatione Episcopi, «qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit» (1); nec simulatas revelationes divinas vulgare; nec mortuorum apparitiones fingere; nec de arcanis supernaturalibus ad morbos medendos gloriari; nec alia hujusmodi facere, quæ mendacium, hypocrisim, jactantiam, et sacrilegium habent conjuncta.

5. Non eodem modo adversus novas ac adversus antiquas superstitiones dimicent parochi: in his namque impugnantis summa prudentia opus est, ne remedium, plus quam ipsa infirmitas, noxium fiat. Si inveterata superstitio non directe orthodoxæ doctrinæ ac pietati adversatur, nunquam illam approbare, sed fortassis de ea aliquatenus novum parochum tacere expediet, donec fidelium optime perspectam indolem habeat, quibus mediis efficacius utendum noverit, animos, per adolescentiæ præsertim religiosam instructionem, præparaverit, et opportunam occasionem inveniat. Immo ea esse possunt adjuncta, in quibus, propter bonam fidem et difficultatem a superstitione praxi rudes abducendi, illos oportebit in sua simplicitate relinquere, si res in alium similem usum, a superstitionis vero labe immunem, mutari nequit.

6. Neque obliviscendum a profanis viris tamquam superstitiosa hodie traduci, quæ pia sunt habenda; quodque,

(1) Conc. Trident. sess. 25, De invocatione Sanctorum.

cum divo Augustino, in dubio num aliquid, non a causâ supernaturali bona vel mala, sed a superstitione, vel causa naturali proveniat, huic est adscribendum, ex eo quod, docente sancto Thoma (1), ubi non apparent manifesta indicia de alicujus malitia, ut bonus haberi debet, in meliorem partem, quod dubium est, interpretando.

7. Prædicatores, igitur, non nisi rei superstitione bene cognita, in aliquam praxim insurgant, neque inconsiderate præconceptas omnes opiniones in populo communes, quæ innocuæ sint, impugnet; nec curiositatem excitando aut scandalum præbendo, de superstitione auditoribus ignota et non facile agnoscenda sermonem instituant.

(1) 2. 2., q. 60, a. 4.



TITULUS XX.

De consortio fidelium cum alienis a fide.

Scriptum est (1): «Qui amat periculum, in illo peribit». Propterea ab Apostolis jubentur fideles hæreticos homines devitare (2), et nec ave eis dicere (3), quorum sermo ut cancer serpit (4), quique in vestimentis ovium venientes (5), per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (6).

1. Proinde, quamvis, generatim loquendo, catholicis liceat hæreticorum templa adire, meræ curiositatis causa, absque ulla in sacris communicatione, nec iis in adjunctis in quibus talis aditus communiter habeatur pro actu falsæ religionis protestativo (7), attamen, quum spectata temporum conditione, plerumque aliorum fidelium scandalum, perversionis propriæ periculum, et hæreticorum jactantia inde oriatur, omnino interdiciamus, sub pœna peccati mortalis, cujus absolutionem nobis reservamus, ne absque nostra licentia aliquis in hac Provincia loca actibus protestantis cultus destinata intret dum hi actus habentur.

2. Majus solet adesse periculum in hæreticorum concionibus, quocumque loco habeantur, audiendis, quam in eorum templa curiosius perscrutando: eapropter Paulus Papa V ad Anglos rescripsit (8) non licere obtemperare Principi sub pœna mandanti hæreticorum conciones audire, quia hoc nequibat fieri «sine detrimento divini cultus ac propriæ salutis». Non hæreticorum modo, sed nec eorum omnium, qui de sua indifferentia religiosa gloriantur, aut libere se cogitare

(1) Eccli. 3, 27. =(2) Tit. 3, 10. =(3) 2 Joan. 10. =(4) 2. Timot. 2, 17. =(5) Math. 7, 15. =(6) Rom. 16, 18. =(7) S. C. S. Offic. 14 Jan. 1718. =(8) Brev. 16 Sep. 1606.

profiteatur, prædicationibus assistant fideles, ne in retibus inferni subdole et captiose suæ curiositati positus miserrime illaqueentur.

3. Hæreticorum aut schismaticorum baptismis regulariter fidelibus non licet interesse (1); neque in iis pro patrinis haberi consentiant (2); nec alia hujusmodi faciant, quibus, in sacris ac divinis cum illis hominibus communicantes, fidem catholicam prodere et falsam religionem approbare videantur.

4. Etiamsi matrimonium contrahere cum acatholicis quandoque, nempe, pontificia dispensatione, gravi causa et debitis cautionibus intervenientibus, licet, attamen, ut verba perspicacissimi Leonis XIII in ore reverenter sumamus (3), cavendum «ne conjugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine..... ex eo quod occasionem præbent vetitæ societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimento sunt institutioni liberorum, et persæpe animos impellunt, ut cunctarum religionum æquam habere rationem assuescant sublato veri falsique discrimine».

5. Similibus de causis, oportet ut parentes catholici, sicque de religione bene merebuntur, filias connubio non jungant hominibus irreligiosis vel de fide suspectis, utque illis famulari non permittant.

6. Parati semper debent esse Christi discipuli ad satisfactionem omni poscenti illos rationem de ea, quæ in iisdem est, spe (4): verum præter casus urgentes, in quibus honor Dei et salus proximi exigant ut hæreticorum incredulorumque objectiones ac blasphemiæ labefactentur et disjiciantur, ne inter privatas quidem personas, laicis de rebus fidei formalem inire disputationem non licet; alioquin excommunicationis la-

(1) S. C. S. Offic. 10 Maj. 1770. —(2) Instruct. Emmi. C. Vicar. ad Parochos Romæ, 12 Jul. 1878. —(3) *Encycl. Arcanum divinæ*, 10 Febr. 1880. —(4) 1 Petr., 3, 15.

quæ eos innodari debere statuit Alexander IV (1). Clericis nullo jure prohibetur privata disputatio, «modo idonei sint atque ex adjunctis sperari queat felix exitus» (2). Quoniam vero utrum hæc aliaque requisita intercedant adjuncta, non semper facili negotio potest cognosci, inhibemus, sub pœnis nostro arbitrio decernendis, ne ullus inter nobis subditos clericos, etiamsi fuerit provocatus, formalem, sine nostra venia, coram privatis personis, cum hæreticis instituat disputationem: publicam hanc autem merito esse prohibitam, nisi Summus Pontifex facultatem dederit, vel ex hoc cognoscitur quod, testante Sacra Concilii Congregatione (3), «plerumque ob loquacitatem, audaciam, aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, opprimitur».

7. Denique, quamvis post Extravagantem Martini V, quæ incipit: *Ad evitanda scandala* (4), temperato antiquæ disciplinæ rigore, non, vel in divinis, tenentur fideles aliquam personam evitare «sub prætextu alicujus sententiæ vel censuræ a jure aut ab homine promulgatæ verbis generalibus», vitandi sunt, juxta quod a Constantiensi Concilio fuit præceptum, etsi non ideo, ut olim, excommunicatio minor contrahatur, prout animavertit Sancti Officii Congregatio (5), notorii alicujus clerici percussores, et nominatim judicis ecclesiastici sententia excommunicati et denunciati specialiter; atque excommunicationi Romano Pontifici simpliciter reservatæ subjacent (6) communicantes in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem (7), cum excommunicato nominatim a Papa, et clerici scienter et sponte cum iisdem in divinis communicantes, ipsosque in officiis recipientes (8).

(1) Sest. Decret. 1. 5, t. 2. cap. 2. = (2) S. C. Conc. 6 Mart. 1625. (3) 8 Mart. 1625. = (4) Ann. 1418. = (5) 10 Decemb. 1883. = (6) *Const. Apostolicæ Sedis*, 16. = (7) Innocent. III, c. *Nuper* 29, de sentent. excom. = (8) Clement. V. tit. 10, de sentent. excom.; *Const. Apostolicæ Sedis*, n.º 17.

PARS SECUNDA.

DE PERSONIS SACRIS.

TITULUS I.

De Romani Pontificis potestate.

Hæc Synodus in Domino congregata jura universa ac prærogativas Pontificis Romani ex toto corde admittit ac profitetur, atque magnopere omnes hic coadunati gratulamur, quod adeo solemnisi occasio nobis sese exhibuerit filialem nostram devotionem et demississimam erga Sanctam Sedem reverentiam ostendendi. Quædam autem ex iis, quæ de Summo Pontifice firmissime credimus, speciatim nunc asserere placet.

1. Quia, testante Spiritu Sancto, in unamquamque gentem proposuit Deus rectorem (1), eo quod, ubi non est gubernator, populus corruet (2), et omne regnum in se divisum desolabitur (3), Christus, qui Ecclesiam suam vocat regnum (4), eamque, juxta divum Paulum (5), ad instar personæ viventis constituit, volens ut omnes quos dedit illi Pater sint unum (6), utque congregentur filii Dei, qui erant dispersi (7), primatum honoris et jurisdictionis, prout OEcumenicum Con-

(1) Eccli. 17, 14. =(2) Prov. 11, 14. =(3) Luc. 11, 17. =(4) Math. 13. =(5) Ephes. 4, 4. =(6) Joan. 17, 11. =(7) Ibid. 11, 52.

vilium Vaticanum definiuit de fide habendum sub anathematis pœna, ut fiat unum ovile et unus Pastor (1), Petro contulit, super eum Ecclesiam ædificans, eique claves regni cœlorum tradens cum facultate quæcumque ligandi atque solvendi super terram (2), et agnos atque oves suas pascendi (3), qui igitur, etiamsi non fuerit præ ceteris a Jesu vocatus, in Sacris Paginis apparet semper ceu Apostolorum princeps. Quoniam vero Petri moritura erat persona, non autem summa potestas, illi collata, sicut noster, omnibus aliis Patribus consonans, divus Pacianus (4) loquitur, ut *unitas fundaretur ex uno*, quæ essentialis, juxta pluries manifestatam Fundatoris voluntatem, est ipsi Ecclesiæ, ideo, ne, in hujus perniciem, incertum relinqueretur quænam prima sedes habenda, Episcopatum romanum instituit, cumque ad mortem regens, simul universalem Ecclesiam direxit, ut ita illius in episcopatu successores, jure divino in primatu, qui tamquam alligatus ejusdem personæ erat, successores etiam essent; quemadmodum Ecclesia a suis primordiis usque ad Concilium postremum universale semper intellexit, et factum ipsum potestatis supremæ in omnes Christi fideles et particulares Ecclesias ab Episcopis Romanis indesinenter exercitæ luculentissime confirmat.

2. Hæc Romani Pontificis auctoritas universos complectitur Episcopos, quos tamquam Apostolorum successores successor Petri confirmare debet, juxta Salvatoris præceptum (5). Alioquin, si talis supra cunctos Prælatos potestas, quam semper, nemine, nisi Ecclesiæ inimicis, repugnante, Romani Episcopi exercuerunt, iisdem negaretur, non una, sed plures Ecclesiæ haberentur, non unus Pastor, prout Christus voluit, sed plures existerent Pastores independentes, nec esset societas a Christo fundata sicuti eam Apostolus descripsit (6), unum corpus et unus spiritus, ex Christo totum corpus compactum

(1) Joan. 10, 16. =(2) Math. 16. =(3) Joan. 21. =(4) Epist. ad Sympron. =(5) Luc. 22, 32. =(6) Ephes. 4, 16.

et connexum per juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciens in ædificationem sui in charitate.

3. Ut in Decretalibus fuit expressum (1), Papa solus major est omni Concilio Episcoporum, non aliter ac Episcopi majores sunt Presbyterorum Conciliis; nam super primum Episcopum Romanum, tamquam super firmissimam petram, ædificavit totam Ecclesiam suam Christus. Hinc est, quod Romanus Pontifex non tantum jus habet convocandi, præsidendi et confirmandi Concilia OEcumenica, sed ab ejusdem judiciis et decretis ad nullam Synodum vel personam potest appellari: quoniam in appellationibus, ab inferiori ad superiorem judicem provocatur; Vicarius autem Christi, qui est caput Ecclesiæ, tam dispersæ quam in Concilio coadunatæ, neminem in terris superiorem habet, ab eoque igitur non licet appellare, sicut nec appellari potest in civilibus a civili suprema potestate.

4. E contra, vi supremæ suæ jurisdictionis Romanus Pontifex, ad instar eorum, qui in rebuspublicis civilibus summum imperium tenent, omnes recipere potest appellationes, quæ propter res vel personas propriæ sint ecclesiasticæ reipublicæ. Jus enim appellationis ad hoc conceditur, ut judicium error corrigatur, in quem, ut homines, et incurrere possunt Episcopi; quoniam vero inter hos, Episcopo Romano excepto, ex Christi institutione nulla datur præeminentia, quæ ad appellationem requiritur, ad solum Romæ Episcopum jure divino spectat ceterorum sententias emendare aut tollere. Quamvis, mortuo Christo, ex eo quod Petrus ejusque successores non omnia negotia per se ipsos expedire possent, jure ecclesiastico et de consensu, saltem tacito, Summorum Pontificum, statutum fuit ut ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitanis autem ad Patriarcham, et in nostra Hispania

(1) C. *Significasti*, de electione.

ad Tribunal Rotæ, appellaretur, nihil detractum fuit auctori-
tati Episcopi Romani, qui statim ab Episcoporum sententiis,
si hoc jure uti vult, debet appellari, quique causas a Rotæ
Hispanicæ Tribunali decisas potest recognoscere et, si oportuerit,
revocare.

5. Demum, cetera omnia Romani Pontificis jura libentissimo animo agnoscentes reverentesque, *placiti regii* doctrinam improbamus; nam ex illius primatu super universam Ecclesiam et potestate eandem gubernandi pronò alveo fluit ei omnino facultatem competere libere communicandi cum Episcopis et fidelibus omnibus ad hos in via salutis ducendos. Quapropter, Concilium Vaticanum (1) damnavit et reprobavit illorum sententias, «qui hanc supremi capituli cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem redeunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur».

(1) Bulla *Pastor æternus*, cap. 3.



TITULUS II.

De Romani Pontificis magisterio.

Summa omnium nostrum lætitia Provincialis Synodus Deo Omnipotenti fervidas gratias agit, qui hac ætate voluit tamquam dogma definiri (1) «Romanum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, id est, quum, omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit».

1. Hæc quidem doctrina, quæ tot, inter ignorantes et impios, inimicos habet, non est nisi legitimum consecrarium eorum quæ superiori titulo fuerunt exposita. Quum Papa, prout in Decretalibus (2) recte dicitur, ejusdem sit potestatis cujus Beatus Petrus, Ecclesia non esset columna et firmamentum veritatis, si super petram labilem, super Petri nempe fallibilem successorem, ædificaretur: portæ inferi, contra Jesu promissum (3), adversum petram supra quam fundata fuit Ecclesia prævalerent: oratio Christi (4), ut non deficiat fides Petri, ineficax esset: impossibile redderetur jussum Petro divinitus datum fratres confirmandi et oves pascendi, ex eo quod noxia ab innocuis pascuis nesciret secernere; nec ille potuisset vere dicere: (5) «Deus

(1) Conc. Vatic. Bulla *Pastor aternus*, cap. 4. =(2) Cap. *Solitæ benignitatis*, de Majoritate et obedientia. =(3) Math. 16. =(4) Luc. 22. =(5) Act. 15, 7.

in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere».

2. Exinde factum fuit, ut nullus, prout vera historia extra omnem controversiam ponit, inter tot successores Principis Apostolorum, a Christi fide in dogmaticis describeret definitionibus. Nec ullum Concilium, cujus decreta ab omnibus fidelibus tamquam de fide tenenda confirmaverit Romanus Episcopus, a via veritatis deflexit; dum e contra amplissimas, ob assistentium et numerum et dignitatem, Synodos, a Summo Pontifice non congregatas, in errorem miserrime incidisse comperimus.

3. Sanctis Patribus plaudentibus, semper et ubique in causis gravioribus et fidei controversiis, fideles, Episcopi et Concilia Romani Pontificis iudicium expetierunt: hæretici ipsi, a Synodis condemnati, ad Apostolicæ, nempe Romanæ, Sedis iudicium appellarunt; simul autem ac Episcoporum Romæ damnationem subierunt, ab Ecclesia tamquam a fide alieni sunt habiti, quasi, Roma locuta, causa finita esset.

4. Merito igitur excommunicatione latæ sententiæ speciali modo Sedi Apostolicæ reservata mulctantur (1) qui «ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellant», sive pontificia mandata universalis sint, sive particularia, vel dogmatica vel disciplinaria fuerint, dummodo de iis agatur, in quibus Romanus Episcopus, tamquam Supremus Pastor, animarum bonum curat; cum hac tamen differentia, quod is qui a Romani Pontificis decreto dogmatico appellat, duplicem incurrit excommunicationem utpote in hæresim labens.

5. Insania foret velle ut per Concilia generalia absque Episcopo Romano fidei controversiæ finirentur et singuli damnarentur hæretici: quum enim perdifficile ac impossibile

(1) Bulla *Apostolicæ Sedis*, n.º 4.

sæpe sit Concilia plenaria congregare, hæresis pluries impunita maneret, cum populi scandalo et detrimento: plerique errores non per universalia Concilia, sed per solum Pontificem Romanum fuerunt præscripti. Denique et in ipsis œcumenicis Conciliis, disceptationibus inter Patres surgentibus, ad litem componendam opus esset, ne incertum iudicium relinqueretur, iudice infallibili, cuiusmodi nemo alius, præter Romanum Episcopum, potest esse, qui in Beato Petro munus accepit *frates confirmandi*.

6. Nec magis rationi consonat infallibilitatem Summi Pontificis negare quoad doctrinam in libris contentam: hac infallibilitate destitutus, non posset Christi Vicarius muneri super dominicum gregem invigilandi satisfacere; nam *lupi rapaces*, viri loquentes perversa ut abducant discipulos post se, quos exurgere prædixit divus Paulus (1), in scriptis venenatæ doctrinæ virus infundunt, qui tamen non essent cum fructu damnandi, si de librorum orthodoxia vel heterodoxia certum iudicium nequiret pronuntiari. Neque possent, juxta Christi præceptum, Petri successores Illius agnos et oves pascere, si damnifica a salutaribus pabulis, hæreticæ nempe lectionis libros a libris lectionis sanæ, nequirent tuto et indubitato iudicio discernere.

7. Quoniam longe lateque, propter effrenam quidquid in calamum venit scribendi licentiam, ineptissimæ objectiones adversus Summi Pontificis infallibilitatem impudenter sparguntur, concionatores pro opportunitate de hoc nostræ Religionis dogmate verbum habeant, patefaciendo nihil in eo contineri quod absonum sit, totamque vim difficultatum impiorum in hoc versari, quod ideam *definitionis ex cathedra* non recte intelligunt. Papæ enim infallibilitas non porrigitur ad facta mere particularia, ut cum agitur de possessionibus vel de criminibus, in quibus ipsa Ecclesia errare potest

(1) Act. Apost. 20. 28.

propter falsos testes, ut scribit divus Thomas (1); sed limitatur ad doctrinas quæ ad fidem vel mores spectant, et neque in illis infallibilis est Pontifex, si non omnium christianorum Pastoris munere fungens loquitur, sed tamquam Doctor particularis; nam, prout Angelicus dicit (2), «judicium eorum qui præsumt Ecclesiæ potest errare in quibuslibet, si personæ eorum tantummodo respiciantur». Dum autem aliquid de fide tenendum definit Romanus Pontifex, nihil contra Conciliorum Œcumenicorum vel anteriorum Pontificum declarat, nec aliud peragit nisi quamdam doctrinam in revelationis deposito reperiri asserere; priusquam autem hoc faciat, etiamsi, ut non erret, Spiritus Sanctus in hujusmodi definitionibus ei assistit, quæstio, prout semper factum esse historia testatur, expenditur maturissime, theologi consuluntur, Episcopi interrogantur, sensus traditionalis Ecclesiarum quæritur, argumenta omnia iterum atque iterum ponderantur, et solutio longe protenditur usque dum controversiæ æstus deserveat.

(1) Quodlibet, 9, a 16. =(2) Ibid.



TITULUS III.

De Romani Pontificis civili principatu.

Acerbissimo animi dolore conspicit Synodus usurpationem iniquissimam temporalis ditionis Episcopi Romani, et, dum factum hoc execrabile ex toto corde publice ac solemniter detestatur et damnat, fervidas Deo preces fundit, ut catenas solvat de manu Vicarii Sui, conterens Satanam sub pedibus ejus, quo lacrymis et mœstitiæ Ecclesiæ finis imponatur.

4. Nihil, licet maxime voluerint, adversus dominationem politicam Summorum Pontificum objicere, quod serio perpendi mereatur, eorundem inimici potuerunt. Hæc enim potestas non adversatur juri naturali: siquidem, nedum sit contraria potestati spirituali, eamdem adjuvat, quod experientia monstrat, quemadmodum pennæ, licet pondus habeant, ad hoc inserviunt, ut aves volare possint; immo dum ambæ potestates in una sunt persona, melius earum harmonia et temporalis ad spiritualem subordinatio obtinentur: nec repugnat juri divino; Deus namque Moysen Summum Pontificem et principem temporalem constituit (1), quod de Heli (2) et aliis in populo Dei summis sacerdotibus dici debet; atque inanes omnino sunt et absurdæ objectiones contra hanc doctrinam ex textu evangelico desumptæ: demum, jus ecclesiasticum dominationem temporalem Episcopi Romani confirmat, cum non tantum ipsi Summi Pontifices, sed Episcopi, et Concilia, et Theologi, et populi christiani sæpenumero eandem retinendam esse publice confiterentur, ac rationi et religioni maxime consonam esse demonstraverint.

(1) Exod. 18. —(2) 1 Reg. 1 et 4.

2. Legitime hanc potestatem acquisitam esse nemo sanus diffitebitur. Imperatores Romani, postquam, statim ut religionem catholicam sunt amplexi, orbis metropolim ad Byzantium transtulerunt, Romam, tacite saltem, Summis Pontificibus reliquere: principes constantinopolitani, etiamsi illorum legitimi successores haberentur, coacti sunt dominationi super Romam valedicere, quin adversum eandem quicquam egerint Episcopi Romani. Populus, grati animi testimonium exhibens, coronam imperii temporalis, ab omnibus derelictam, super Pontificum caput, licet invidiosum, possuit. Roma ad suos Episcopos pertinet, quia absque illis jamdudum non existeret; eam enim ab Alarico salvam fecit Innocentius I, ab Atila Leo Magnus, a Luitprando Gregorius II, a Rachi Zacharias, a saracenis vero Gregorius IV, Leo IV, Joannes X, et Victor III. Denique Sancti Petri patrimonium, legitimis donationibus auctum, ab injusta longobardorum occupatione armis Pipinus et Carolus Magnus sustulerunt, atque Romanis Pontificibus donarunt, vel, ut verius dicatur, restituere.

3. Summorum Pontificum, luctuosis hisce nostris temporibus, per sacrilegum latrocinium atque omnium jurium impudentissimam violationem, regia auctoritate sublata, sanctæ memoriæ Pius IX, non ambitionis studio, neque dominandi cupiditate, vel lucri alicujus temporalis desiderio, excommunicationem contra pontificiæ ditionis invasores ac detentores fulminavit; errorem in Syllabo proscripsit eorum qui abrogationem civilis imperii Apostolicæ Sedis ad Ecclesiæ felicitatem conducere asserunt, dubiamque dicunt esse temporalis regni cum spirituali compatibilitatem; atque in Litteris Apostolicis *Cum catholica Ecclesia*, et in pluribus Allocutionibus, veram doctrinam de Sanctæ Sedis temporali dominatione dissertissime atque inconcusse tradidit. Leo vero Papa XIII, qui ei in captivitate successit, mira fortitudine jura Apostolicæ Ecclesiæ, dum occasio sese obtulit, vindicavit, ut

certo omnibus constet nihil illius animum in Sanctæ Sedis civili principatu asserendo defendendoque frangere posse.

4. In quo causam totius Ecclesiæ agunt Pontifices, nec non societatis civilis et omnium christianorum; prout enim Sanctissimus Noster in Christo Pater initio sui pontificatus scripsit (1), «exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicæ agitur, publici etiam boni et salutis totius humanæ societatis causam agitari»; cujus rationem ipse sapientissimus Pontifex, alio in loco evolvens, dixit (2): in hoc principatu, «præter legitimas causas titulosque egregios et varios, inest similitudo et forma quædam sacra, sibi propria, nec cum ulla republica communis, propterea quod securam et stabilem continet Apostolicæ Sedis in exercendo augusto maximoque munere libertatem. Nemo est enim quin sciat id semper Pontificibus usuvenisse, ut, amisso imperio civili, in diminutionem incurrerent libertatis». Accedit, prout admirabili plane ratione edocuit Pius IX in Allocutione quam, in Consistorio Secreto, Cajetæ die 20 Aprilis anni 1849, coram Cardinalibus, habuit, «singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum esse, ut, Romano Imperio in plura regna variasque ditiones diviso, Romanus Pontifex..... civilem principatum hac sane de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam regendam, ejusque unitatem tuendam, plena illa potiretur libertate, quæ ad Supremi Apostolici ministerii munus obeundum requiritur. Nam omnibus compertum est fideles populos, gentes, regna numquam plenam obedientiam Romano Pontifici esse præstitura, si illum alicujus Principis vel Gubernii dominio subjectum, ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis seu Gubernii, in cujus ditione versaretur, volun-

(1) *Encycl. Inscrutabili*, 21 April. 1878. —(2) *Alloc. Post scitatos*, 24 Mart. 1884.

tatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitent».

5. Exinde patet absurdam atque impossibilem eam esse conciliationem, quam inter Pontificem et pontificii territorii usurpatores aliqui intendunt. Romæ non potest esse Christi Vicarius, nisi vel Rex vel captivus: et captivum esse, licet non ferreis adhuc catenis vinctum, Leonem XIII lacrymis et intimo animi mœrore cernimus, quem maximis injuriis, præli præsertim ope, ejus carcerarii quotidie afficiunt, quas inter recordari sufficiat cadaveris Pii IX tentatam profanationem; patrimonii spoliationem, quod christiano nomini propagando Sancta Sedes addixerat; monumentum magno cum apparatu in capite orbis christiani monacho impio et apostatæ dicatum; atque in peregrinos gallicos offensæ et agressus; adeo ut, dicente Christi Vicario, decretum inimicis esse constat «usque eo Pontificatum romanum injuriose tractare, ut, ex aliis in alias conjectus difficultates, ad extrema, si fieri possit, urgeatur».

6. Nullum dubium quin Pontificatus Romanus, ut semper rebus similiter se habentibus evenisse testatur historia, de suis crudelissimis inimicis plenam reportabit victoriam, Dei auxilio, qui non irridetur, neque in finem obliviscitur, sed ex malis haurit bona, atque post nubila solem splendere facit. Attamen hæc firmissima spes filios Summi Pontificis in tribulatione maxima, atque in manibus hostium positi, non ab obligatione liberat vires omnes in id conferendi, ut optatam libertatem consequatur. Decernimus igitur ut nostris Seminariis alumni Historiæ Ecclesiasticæ ac Locorum Theologicorum doceantur legitimos titulos possessionis et rationes theologicas, sociales, juridicas aliorumque ordinum, quibus politicus Romæ Episcoporum innititur principatus: prædicatores populum erudiant de supremis discriminibus, quibus premitur et urgetur benignissimus omnium Pater: parochi semper in publicis

orationibus cum fidelibus pro Christi Vicarii libertate orent, quemadmodum pro Petro, in custodia incluso, oratio fiebat sine intermissione (1). Eos, qui more et ingenio scribendi præstant, impense rogamus, ut strenue Romanorum Pontificum temporalia jura tueantur. Demum suffragium ad populum in regni comitiis repræsentandum, catholici nonnisi iis ferant spondentibus omnia tentaturos, quæ ad Summi Pontificis in melius mutandam conditionem opportuna fuerint arbitrati.

(1) Act. 12, 5.

TITULUS IV.

De catholicorum erga Sanctam Sedem officiis.

Ex his, quæ hactenus de Romano Pontifice, licet cursim, brevitatis ergo, tradita fuere, pronum est eruere quibus in eum devinciamur officiis, quorum igitur aliqua modò per summa capita indicare sufficiat.

1. Quæ et quanta grati animi obsequia Romano Pontifici reddere teneantur christiani, facili negotio quisque conjiciet, cui omnino ignotum non sit quot muneribus fideles et populos implet ac cumulat. Societas spiritualis, quæ nobis redemptionis pretium, Salvatoris merita, et ipsum vere ac realiter divinum sanguinem ministrat, in illo fundatur, tamquam in firmissima petra. ipse est claviger regni cælorum, eorum dux, quos sal terræ et lucem mundi appellavit Christus, revelationis custos, magister orthodoxæ doctrinæ, pastor dominici gregis, et pater nostrarum animarum: per ejus præsertim decessores societas e paganismi tenebris exiit, barbariem tribuum Septentrionis repulit, mahumeticam superstitionem vicit, ad civilitatis fastigium pervenit, fructibusque omnibus bonarum artium, litterarum, scientiæ atque industriæ abundavit, sicuti et hodie, ad tot pericula et inimicos superandos, quasi admodum tuto præsidio, utitur Leonis XIII et sapientissimis doctrinis et efficacissimo influxu.

2. Propter eam, qua pollet, auctoritatem, obtemperandum est, non tantum externe, sed vere et ex corde Romano Pontifici, non solum in decretis dogmaticis, verum etiam in iis quæ disciplinam respiciunt, et ad bonum ipsius Ecclesiæ spectant: in omni enim perfecta societate, præter

fundamentales leges, et aliæ sunt quæ, juxta adjunctorum varietatem, ab iis qui præsident feruntur: in Ecclesia vero, quæ nomine *regni* divinitus fuit donata, Episcopi Romani ea potestate sunt instructi, quæ ad illam omni tempore rite dirigendam requiritur: nec mirum, si ab illis antiquæ leges et consuetudines, quæ essentielles non sint, mutantur vel tollantur; id namque exigit circumstantiarum variatio, pro quibus constitutiones illæ fuerunt latæ; quod Apostolorum confirmatur exemplo, qui, crescente fidelium numero, statutam disciplinam mutare opportunum existimarunt.

3. Stulte atque impie agunt qui Romano Pontifici in iis tantum morem gerere profitentur in quibus infallibilitate gaudet: aliter, propter hujus dotis defectum omni auctoritati detrectaretur obedientia. Personalis Summi Pontificis scientia, rerum gerendarum peritia eorum quorum opera ille utitur, locus eminens in quo, ad illa quæ fieri oportet cernenda, est constitutus, atque speciale Dei auxilium, quod ei præsto est ad tantum munus implendum, validissima esse debent motiva, ut absque ulla hæsitatione ejus vel consilia et suasiones exsequantur, quem Christus omnium fidelium pastorem ac magistrum instituit, cujusque sanctiones, ut in *Decreto Gratiani* dicitur (1), accipiendæ sunt tamquam si ipsius divi Petri voce firmatæ fuerint. Oblivioni non tradendum errorem esse, a Pio IX in Encyclica *Quanta cura* reprobatur, illis Apostolicæ Sedis judiciis ac decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato.

4. Quoniam acta et decreta Romanorum Pontificum ad Religionem et Ecclesiam spectantia non indigent sanctione et approbatione vel assensu potestatis civilis (2), neque hæc

(1) *Distinct.* 19, c. 2. —(2) Pius IX, *Encycl. Quanta cura.*



potest vetare quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent (1), sicque Episcopis, sine Gubernii venia, fas est apostolicas litteras promulgare (2), curandum est ut Summi Pontificis Epistolæ Encyclicæ, vernaculo etiam sermoni redditæ, atque ipsius vel Romanorum Congregationum generalia decreta, et alia ad nostras Diœceses attingentia, in foliis periodicis episcopalibus cum primis inserantur; quæ, ad omnium fidelium faciliorem cognitionem, ut in diariis catholicis transcribantur oportet, quin tamen addantur commentaria, quibus Pontificis in alienum sensum, ad propria, præsertim quoad rem politicam, placita tuenda, audacter verba torqueantur.

5. Quum, sicuti ex antiquis scriptoribus, ex Ecclesiarum omnium traditione, atque ex indubitatis monumentis archeologicis constat, Petri et Pauli sepulchra Roma habeat, ibique sanguinem suum fuderint innumerabiles Dei servi, a remotissima antiquitate ex universo orbe christiano factum fuit ut ad limina Apostolorum plures convenirent, lucrandi causa indulgentias peregrinis largitas, atque ut signum suæ in Sanctam Sedem devotionis præberent, vel ad doctorem universalem magistrumque falli nescium consulendum. Permaxime in præsens decet, ut hujusmodi peregrinationes frequenter habeantur, utque plures fideles his sacris itineribus sese committant, quo aliquod solatium nostro Beatissimo Patri tot oppresso ærumnis præstetur.

(1) Pius IX, Alloc. *Maxima quidem*, 9 jun. 1862. = (2) Idem, Alloc. *Numquam fore*, 15 decemb. 1856.

TITULUS V.

De Romano Pontifici eleemosynis subveniendo.

Ob singulare rei momentum, præstat de obligatione speciatiim agere, qua universi, pro sua quisque facultate, christiani adstringuntur, hodiernæ Summi Pontificis inopiæ sublevandæ.

1. Quemadmodum Melchisedech, Dei sacerdoti, ex omnibus dedit decimas Abraham (1), hocque de præcipuis (2), decimarum primitiarumque decimam partem offerebant Levitæ Summo Sacerdoti (3), qui imago erat Romani Pontificis, optimam et electam (4): pariter, primi christiani agros et domos venundabant, et pretia ponebant ante pedes Apostolorum, quorum princeps Petrus erat, ut singulis fidelibus divideretur, prout cuique opus esset (5). Eleemosynæ, quæ primis post Christum natum sæculis erogabantur Eiusdem Vicario, in aliquibus regnis, in Anglia præsertim, nomine *denarii Sancti Petri*, annui tributi formam acceperunt, quod, Sedis Apostolicæ copiis auctis, tandem sub hac ratione obsolevit. In præsentiarum, nihil præter filiorum charitatem possidet Papa: ejus patrimonium, licet legitime acquisitum et Ecclesiæ bono moraliter necessarium, sacrilege sublatum est: illeque ab usurpatoribus haudquaquam, sic exigentibus proprio decore, christiani populi utilitate, ac pontificatus jurium tuitione, recipere potest annualem pensionem, quæ eum æquipararet fungentibus, Gubernii civilis nomine, publicis muneribus.

(1) Gen. 14, 20. —(2) Hebr. 7, 4. —(3) Num. 18, 28. —(4) Ibid. 18, 29. —(5) Act. 4, 34 et 35.

2. Neminem fugit quanta sit Romani Pontificis frugalitas, modestia atque in omnibus parcitas. Attamen inficias ire non licet multa ei pecunia opus esse: ipsa rerum historiae, arti et scientiis inæstimabilium conservatio, quas in ædibus vaticanis, ad suam ipsorum religionisque catholicæ laudem et gloriam, Papæ collegerunt, non paucos exigit sumptus: regia dignitas, quæ, etsi territorio ab inimicis occupato, in Romano Pontifice universim agnoscitur, necnon principatus quem tenet super societatem a Christo institutam, deposcunt, ad ipsius honorem Ecclesiæ, non mundanam quidem pompam et inanem faustum, verùm ut quemadmodum suæ supereminenti dignitati congruit vitam agat.

3. Ad supremam christianæ societatis administrationem non paucis opus est expensis: quum per se ipsos Romani Pontifices omnia expedire ad Ecclesiæ gubernationem pertinentia negotia non valerent, Sacræ institutæ sunt Congregationes, quibus addicti plures docti viri operam et consilium præstant: ut suum officium impleat docendi omnes gentes et prædicandi Evangelium in universo mundo omni creaturæ, verbi ministros, Patrifamilias operarios, mittere debet Papa in regiones longinquas, ad semen prædicationis in Domini agris incultis seminandum, eique usus est recens constitutas apud gentes societates christianas, nullis parcens dispendiis, inter multiplicia discrimina sustinere: denique tamquam Ecclesiæ rector, generalibus ejusdem necessitatibus est provisurus, et quasi omnium fidelium in Christo Pater, e suo excelso throno quasdam christianas communitates summis angustiis premi conspiciens, ceterarum ad illis succurrendum vellet habere pias eleemosynas.

4. Hujusmodi itaque donaria, ac si Ecclesiæ fierent, sunt existimanda, nam *ubi Petrus ibi Ecclesia*; honorant et solantur Christi Vicarium, qui in sua amaritudine et dolore a dilectissimis filiis oblivioni non tradi experitur; pulchrum

actum, ad Pontificatus inimicos superbiam jactantiamque compescendum, catholicæ fidei protestationis et adhæSIONIS firmissimæ Sanctæ Sedi constituunt: donantes vero certi sunt pecuniam suam in bonum usum atque ad veram necessitatem sublevandam expendi; a Deo, cujus Vicemgerens est Romanus Pontifex, qui thesauros spirituales Ecclesiæ et claves cœli possidet, copiosam mercedem sunt accepturi; et gratitudinis debitum Summis Pontificibus solvunt, qui universos populos, nostrum autem præ ceteris, donis supra omne pretium atque æstimationem ditarunt, et fideles omnes innumerabilibus beneficiis cumulant, utpote Ecclesiæ fundamentum, depositi divinæ revelationis vindices, veritatis assertores et propugnatores indefessi, omnia ligandi atque solvendi potestatem habentes, et principes eorum qui dispensatores sunt mysteriorum Dei, et per quos salus fit in Israel.

5. Piissimum igitur maximeque necessarium opus *oboli Sancti Petri* ut foveatur augeaturque in hac nostra Provincia præ primis est satagendum: parochi data opera populo fideli aperiant solidissimas multiplicesque rationes, quibus illud fulcitur; eleemosynas colligant atque ad Episcopos mittant, qui donatorum nomina in aliorum exemplum, nisi aliud expedire visum fuerit, foliis periodicis ecclesiasticis expriment, atque annuatim colectam per totam diœcesim pecuniam Romano Pontifici tradent. Tandem, suadendum animam proxime acturis ut aliquod, juxta facultates, legatum pro Christi Vicario, eo quo oportuerit modo, relinquunt.



TITULUS VI.

De Metropolitano.

Quemadmodum Romanus Episcopus Petri, ita ceteri Episcopi ceterorum Apostolorum sunt successores. Potestas autem quam Petrus in Ecclesiam exercuit ordinaria erat, ideoque ad Romanos Pontifices, ejus successores, transiit: non sic vero, utpote extraordinaria, aliorum Apostolorum exercita auctoritas amplissima. Jussi sunt Apostoli ire in universum mundum et prædicare Evangelium omni creaturæ, et eorum unusquisque, ut sanctus Paulus, posset dicere (1): «instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum»: postquam autem in omnem terram exivit sonus eorum, et in finem orbis terræ verba eorum, ad confusionem vitandam, cuique pastori quædam gregis dominici portio fuit concredita, et certus ad imperium adsignatus tractus terræ. Hi Ecclesiæ magistratus, licet ordinis potestate sint inter se pares, jurisdictione tamen differunt. Societatis ecclesiasticæ optimo regimine id poscente, a remotissima antiquitate, quidam inter Episcopos, Metropolitanani nempe, aliis præerant, ipsis tamen subjacentibus Primatibus, qui et Patriarchis subdebantur, sub uno capite, Summo Pontifice, cui, ut ex variis membris Christi corpus vivens et agens efficeretur, omnes obediebant.

1. Archiepiscopi seu Metropolitanæ munus sic est in Ecclesia antiquum, ut plures viri docti ex apostolica institutione provenire asserant. Metropolitanæ dignitatis veluti specimen præclarum ab Apostolis exhibitum traditur in Tito, qui omnibus insulæ Cretæ Ecclesiis fuit præfectus, atque in Timotheo, qui super universos Asiæ Episcopos auctoritatem habebat. Ante

(1) 2 Cor. 11, 28.

Nicænum Concilium Metropolitanos fuisse institutos ex ejusdem canonibus evidentissime constat. Non tamen juris divini, sed ecclesiastici est metropolitana potestas, ideoque obnoxia mutationibus, quibus, pro temporum ratione diversa, ecclesiastica subest disciplina: a Petro ejusque successoribus Metropolitanorum jura fuere constituta, ab iisque etiam possunt imminui, quin ob hanc imminutionem, omnibus adjunctis optime respondentem, vel minimum contra pontificias reservationes, contra nempe supremi Ecclesiæ moderatoris rationabilem voluntatem, liceat objicere. Jura præcipua quæ Metropolitibus supersunt, opportunum duximus congerere ac per summa capita indicare.

2. Potest quidem Metropolitanus dispensare in non reservatis votis et juramentis suffraganeorum, prout cum sancto Antonino communiter docent auctores: et quoad Episcoporum residentiam ad normam juris tridentini agere (1).

3. Casibus in jure expressis Metropolitanarum est inferiorum corrigere negligentiam et supplere: itaque ad Archiepiscopum devolvitur collatio beneficiorum, quæ intra semestre conferre negligant suffraganei (2); si infra dies octo post mortem Episcopi Capitulum Cathedrale Vicarium non constituit, vel ineptum de jure deputat, ad Archiepiscopum transfertur jus illum eligendi (3): Suffraganeo nolente præsentatos legitime a patronis instituere, post duos menses institutio ad Metropolitanum pertinet (4).

4. Quando, suffraganeo a subditis, tamquam suspecto, rejecto in judiciis, arbitri, prout de jure, sunt eligendi, idque ille facere renuit, Metropolitanus ejusdem obligationem urgere potest; si vero, et arbitri electi legitimam causam Episcopum aut ejus Vicarium recusandi adesse crediderint,

(1) Conc. Trident. sess. 23, c. 1. —(2) C. *Licet*. De supplenda negligentia Prælatorum. —(3) C. Trid. sess. 24, c. 16. —(4) Const. *In conferendis* S. Pii V, 16 Majii 1587.

vel recusatus de recusantis consensu alteri negotium committat, «vel ad Superiorem transmittatur, ut in eo ipso procedat secundum quod fuerit procedendum» (4).

5. Licet non, ut antea (2), totam suam Provinciam, posset Archiepiscopus aliquam diœcesim suffraganeam visitare, si causam visitationis peragendæ Provinciale Concilium approbaret (3).

6. Per totam autem Provinciam potest Metropolitanus Pontificalia exercere (4), et per eandem uti mozetta et rochetto discooperto, ac populo benedicere (5) crucemque ante se deferri facere (6), nisi præsentes sint Cardinales, aut Nuntii (7): non tantum jus habet concedendi suis subditis indulgentias, sed intra Provinciam valet etiam concedere (8).

7. Præcipuum Metropolitanorum insigne est pallium, quod «a Beati Petri tantum corpore» assumitur (9), et in quo «Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur» (10). Hoc sacro, et mysticis significationibus pleno, ornamento, quod a primis Beati Petri successoribus habuit originem, uti potest Archiepiscopus «intra quamlibet Ecclesiam Provinciæ» (11), sed non extra templa, neque extra Missam et præter dies in Pontificali (12) enumeratos, nisi, cum communi Doctorum sententia, celebratio Conciliorum excipiat: nam, ut dixit Innocentius III (13), «solus Romanus Pontifex in Missarum solemnibus pallio semper utitur et ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per Pallium significatur».

(1) Decretal. l. 2. tit. 28, c. 61. =(2) Cap. *Romana* 1, de suppleta negligentia Prælatorum, in 6.º =(3) C. Trid. sess. 24, c. 3. =(4) Clementin. c. *Archiep.*, 2 de privil. =(5) S. C. Rit. 2 Oct. 1601. =(6) Idem 13 Jul. 1613. =(7) Idem 9 Martii. 1593. =(8) Cap. *Nostro*, 15 de pœnitentiis et remissionibus. =(9) Cap. *Significasti*, 4 de electione. =(10) Cap. *Nisi*, 3 de auctoritate et usu pallii. =(11) Cap. *Cum super*, 1 de auct. et usu pallii. =(12) Parte 1.º tit. de Pallio. =(13) Cap. *Ad honorem*, 4 de auct. et usu pallii.

TITULUS VII.

De Concilio Provinciali.

Priusquam de hoc titulo brevissime verba faciamus, non possumus quin ex imo corde fervidas Deo agamus gratias, qui nobis, licet indignissimis, dedit videre quæ decessores nostri desiderio desiderarunt, et non viderunt, celebrationem nempe Provincialis Burgensis Concilii, tot post secula in quibus nullum fuerat coactum.

1. Convocatio Concilii ad Metropolitanum spectat: Patres Synodi Antiochenæ, postquam illam dixerunt (1) ceu perfectam habendam cui adest Metropolita, jam decrevere (2) ut «nullis liceat apud se Synodus facere, sine iis, quibus creditæ sunt Metropoles»; Metropolitanæ autem legitime impedito, jus convocandi Concilium ad Provinciæ Episcopum antiquiorem transfertur.

2. Vocandi sunt, et, nisi legitimo detineantur impedimento, venire ad Concilium debent, omnes Provinciæ Episcopi, quibus, verbis non minus quam pœnis, hanc obligationem Sacri Canones urgent (3). Præter eos, juxta Tridentinum (4), convenire tenentur «qui de jure vel consuetudine interesse debent».

3 Verumtamen, nec Capitulorum Procuratores, nec Theologi et Canonistæ, quos in consilium sibi adsciant Reverendissimi Prælati, nec Religiosorum ordinum Abbates, nec ceteri qui, quovis titulo, Concilio intersint, vocem *decisivam*, sed tantum votum *consultivum* habent. Soli namque

(1) Can. 16. =(2) Can. 20. =(3) Can. *Si quis Episcoporum*, 14, dist. 18. =(4) Sess. 24. c. 2, de Refor.

Episcopi successores sunt eorum qui potuerunt dicere: *Visum est Spiritui-Sancto et nobis*; et illi unice appellatione propria *Patres Conciliorum* audierunt semper.

4. Quamvis Synodus Universalis Nicæna (1) bis in anno, scilicet, ante quadragesimam et tempore autumnii, Concilia Provincialia fieri jussisset; sicut Synodus Quini-Sexta seu Trullana «propter barbaricas incursiones et alias quasdam incidentes causas», semel tantum in anno Concilia haberi permisit, quod, apud occidentales provincias usu etiam receptum, confirmavit Innocentius III (2), sic Tridentina Synodus, Spiritus-Sancti roborata assistentia, concessit (3) ut quolibet triennio cogatur Concilium «post octavam Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Jesuchristi, seu alio commodiori tempore»: quam disciplinæ moderationem, prudentem et recentiorum quorundam nullo modo causam dantem indignationi et pharisaico scandalo, jam Concilia Lateranense V et Basiliense statuerant.

5. Quod plura antiqua Provincialia Concilia fecerunt, unanimi Doctorum plausu, eo quod supremæ auctoritati ab omnibus catholicis in Apostolica Romana Sede semper agnitæ plane esset conforme, ut nempe revisioni Summi Pontificis conciliaria decreta subjicerentur, omnino hodie servandum est, dicente Sacra Concilii Congregatione (4): «Quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, publicari non debent, inconsulto Pontifice». Igitur libentissime, quæ decreta et decernenda sunt in Burgensi Concilio, ad Cathedram veritatis infallibilem mitemus, non aliud vulgantes neque admittentes nisi quod et quomodo Romanus Episcopus, vel Ejus Congregatio Cardinalium Tridentini interpretationi præposita, permiserit et correxerit.

6. Synodus œcumenica Lateranensis IV, celebrationem

(1) Can. 5. =(2) Cap. *Sicut olim*, de accusationibus. =(3) Sess. 24, c. 2, de Refor. =(4) 6 April. 1590.

Conciliorum Provincialium urgens, ut quæ in illis conduuntur leges adamussim adimpleantur, voluit ut per singulas diœceses constituantur viri idonei, providi et honesti, qui «simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione sollicitè investigent quæ correctione vel reformatione sunt digna, et ea fideliter perferant ad Metropolitanum et Suffraganeos et alios in Concilio subsequenti, ut super his et aliis provida consideratione procedant». Hi viri, juxta Concilium Mediolanense IV sub sancto Carolo, quod eis non honorem solum sed veri officii partem concedidit, esse debent «ecclesiastici, ætate moribusque graves, prudentes ac virtutum christianarum studiosi, et spiritualis vitæ amantes».

7. Parum equidem utilitatis ex eo proflueret quod optimæ leges in Concilio ferrentur, si omnibus modis et nisibus non satagitur ut ad praxim deducantur. Ne igitur nostri labores nihil aliud fuerint, quam aer verberare, curandum nobis est ut vitiorum extirpatio, et sanctitatis augmentum, præcipuus Synodorum scopus, per totam hanc provinciam obtineantur, quæ nunc constituantur fideliter exequendo. Si vero circa decretorum interpretationem dubia suboriantur, Episcopus consulatur, qui ea per se solvet, vel si tanta fuerit materiæ gravitas, Metropolitanum certiore faciet, ut hic quod in Domino faciendum sit decernat.



TITULUS VIII.

De Episcopis.

Episcopos Presbyteris superiores esse Concilium Tridentinum definivit (1), Sacram Scripturam, Sanctos Patres et Ecclesiæ universalis constantem traditionem, plurimis et indubitatis argumentis manifestatam, sequens. Aliter ac ceteri Sacerdotes, semper Episcopi fuere vocati *successores Apostolorum*, quatenus nempe eundem cum his characterem episcopalem habent, eandemque ordinis potestatem vi consecrationis, atque, sicut illi reliquis discipulis et fidelibus, hi superiores sunt ceteris sacerdotibus et laicis; necnon *Ecclesiæ Principes* recte appellantur, et jurisdictionem sub Romano Pontifice, ut Apostoli sub Petro, exercent, licet non universalem, sed circa assignatas diœceses restrictam. Exinde factum fuit ut sanctus Ignatius dixerit (2) manifestum esse «quod Episcopum respicere oportet ut ipsum Dominum», et sanctus Cyprianus (3) asserat quod «Ecclesia super Episcopos constituitur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem Episcopos gubernatur», quibus consonant posteriores Patres, dignitatem episcopalem magnificis eloquiis extollentes, dum verbis gravissimis disserunt de reverentia, submissione, obsequio et amore iis præstando, qui, ut in Decreto Gratiani dicitur, «in locum Apostolorum successerunt» (4).

1. Huic excelsæ dignitati, et juribus ac prærogativis ejusdem propriis, non paucæ respondent obligationes et curæ; quippe Episcopis, ut loquebatur Antiochena Synodus (5),

(1) Sess. 23, can. 7. =(2) Ep. ad Ephes. c. 6. =(3) Ep. 27. =(4) Can. *In novo*, 2, dist. 21. =(5) Can. 24.

«est omnis populus creditus, et eorum animæ qui in Ecclesiam conveniunt». Præcipuum autem episcopalis ministerii munus est prædicatio sancti Evangelii, prout aperte Concilium Tridentinum docuit (1), et Apostolorum commonefacit exemplum, qui semper erant instantes ministerio verbi (2), utpote missi non baptizare sed prædicare, prout de se dicebat divus Paulus (3), qui et Timotheum Episcopum (4) coram Deo et Jesuchristo adjurabat ut verbum prædicaret; nam, verba sunt Doctoris Angelici (5), «officium docendi commisit Apostolis Christus, ut ipsi illud per se exercerent, tamquam principalissimum....., officium autem baptizandi commisit eis, ut per alios exercendum».

2. Primis Ecclesiæ temporibus soli prædicabant Antistites, vel ex ipsorum speciali commissione Presbyteri et Diaconi paucissimi: crescente fidelium multitudine, non sufficiebat Episcoporum prædicatio, proindeque assumere debuerunt, et debent, juxta generalem Concilii Lateranensis IV Constitutionem (6), «viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum». Episcopalis itaque officii est non solum, legitimo impedimento absente, populo verbum divinum annuntiare, sed facere ut in omnibus parochiis Christus prædicetur, et invigilare ne sancti Evangelii præcones ministerium suum deturpent, non Dei sed suam ipsorum gloriam quærentes. Præcepto divino quum omnibus mandetur, quibus animarum cura commissa est, oves verbi divini «prædicatione pascere» (7), et Episcopi curam habere debeant de universis in Diœcesi animabus, omnino servari debet praxis epistolas pastorales, quæ in cathedrali et omnibus parochialibus ecclesiis legantur, quadragesimæ tempore et alias, ubi bene visum fuerit, scribendi, quibus populus in fidei mysteriis instituatur

(1) Sess. 5, c. 2. —(2) Act. Apost. 6, 4. —(3) 1. Cor. 1, 18. —(4) 2 Tim. 4, 2. —(5) Parte 3.^a q. 67, art. 2 ad 1. —(6) C. 15 de offic. Ordinar. —(7) Conc. Trid., sess. 23, c. 1 de reform.

et præsertim ad virtutem sectandam et vitia fugienda adhortetur, et instructiones publicandi ad cleri directionem et reformationem.

3. Bonus pastor oves suas agnoscit, quæ et vocem ejus audiunt. Episcopus, qui omnibus debetur, in omnibus parœciis zelum suum exercere debet. In sanctorum Antistitum vita legitur, quod non interrupta diœcesis circuitio eorum occupatio vel desiderium erat. Sacrosancta Tridentina Synodus, anteactis Conciliis insistens, præcepit (1) ut Episcopi proprias diœceses per se ipsos, vel, si legitime impediuntur, per Vicarium Generalem aut Visitatorem, perlustrent quotannis, vel, si propter earum latitudinem fieri nequit, «saltem majorem partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel Visitatores suos compleatur». Concilium Mediolanense IV sub sancto Carolo (2) volebat ut Episcopi «diligentiam omnem visitando adhibeant, non modo in ecclesiarum cultu, et ornamento tuendo augendove, sed maxime in omni et cleri et populi pristina christiana disciplina restituenda, in utriusque item moribus cognoscendis, iisdemque depravatis corrigendis». Quoniam Episcopi, non solum constituuntur ut offerant dona et sacrificia pro peccatis (3), propter quod non cessabat Apostolus orare et postulare pro fidelibus (4), sed hos ad orandum erudire et excitare, voce et scripto, debent, oportet ut in diœcesi perlustranda, dum per tempus liceat, aliquas preces cum populo, ad ejus ædificationem, Deo fundant. Prælati animarum zelo flagrantes et bona valetudine utentes confessionali per parœcias assident, et in Ecclesiis non tantum Confirmationis et Eucharistiæ Sacramenta, sed prædicationis etiam evangelicæ panem ministrant. Ad exemplum Pauli dicentis (5): Non quæro quæ vestra sunt, sed vos; Christo obsequentes, qui discipulis, dum ad fidelium domum venirent,

(1) Sess. 24, c. 3 de refor. = (2) Parte 3.^a tit. de visitat. = (3) Hebr. 5, 1. = (4) Colos. 1, 9. = (5) 2. Cor. 12, 14.

permisit manducare et bibere *quæ apponuntur* (1), Prælati in pastorali visitatione non appetunt civos deliciores nec luxum, sed frugaliter moderateque victualia sibi ministrari volunt, juxta quod a Tridentino fuit constitutum, ut, dicente ipso Concilio (2), «reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, sacræ humilitatis exempla petere possint».

4. Quum Episcopi debeant attendere universo gregi (3), et in omnibus laborare ministerium suum implendo (4), tamquam Pastor intrans per ostium, qui proprias oves vocat nominatim, et educit eas, et ante illas vadit (5), pastoralia munia minime explebunt, non modo si greges sibi commissos mercenariorum more desserant, sed si, in diœcesi etiam residendo, «ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo judice requirendus, custodiæ minime incumbant; cum certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit et Pastor nescit» (6). Verum residentia Episcopi diœcesis utilitatem respicit, ad quam intendendam oportere poterit illum abesse; et bonum universalis Ecclesiæ, quod alicujus Præsulis absentiam exigere potest, particularis Ecclesiæ bono est præferendum; ipsam præterea residentiam impossibilem reddi interdum continget, proinde causæ sunt ad non residendum: *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas*. Utrum autem hæ causæ vere existant, non Episcoporum sed Apostolicæ Sedis judicio reliquit Synodus Tridentina (7). Attamen, vel talibus causis non existentibus, a diœcesi recedere per duorum vel trium mensium spatium permittitur; sed Concilium Tridentinum hortatur ne hoc sit tempore Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis,

(1) Luc 10, 8. —(2) Sess. 25, c. 1 de refor. —(3) Act. 20, 28. —(4) 2 Tim. 4, 5. —(5) Joan. 10. —(6) Con. Trid. Sess. 6, c. 1 de refor. —(7) Sess. 23, c. 1 de reformat.

Pentecostes et Corporis Christi, quo oportet Episcopos ab Ecclesia sua cathedrali non abesse, nisi pastoralia muna ad alium intra diœcesim locum illos vocent; et præcipit «ut id æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento; quod, an ita sit, abscedentium conscientiaë relinquit».

5. Propter obedientiam, qua erga Sanctam Sedem Episcopi adstringuntur, evenit ut omnibus seculis pii Episcopi, qua poterant frequentia, sacra Apostolorum limina invisent, debitam Summo Pontifici reverentiam exhibent, et de suarum diœcesum statu eundem certiores facerent. Decretalium jure (1) singulis annis limina Apostolorum visitare tenebantur Episcopi. Ad hoc officium commodius explendum Episcopis hispanis permisit Sixtus V ut visitatio in unoquoque tantum perficeretur quadriennio, id est, in ultimo quadriennii anno (2), tempus computando (3) a die qua data fuit constitutio *Romanus Pontifex*, nempe a die 20 Decembris 1585. Relatio vero status Ecclesiae fieri debet pro norma habendo instructionem a Sacra Concilii Congregatione jussu Benedicti XIII editam. Ut autem ab hac gravissima obligatione Apostolorum limina per se ipsos invisendi excusentur Episcopi, qui tunc Procuratorem specialiter ad id deputatum constituent, necesse est ut legitimum existat impedimentum, cujus sufficientes probationes ad Sacram Congregationem sunt transmittendæ.

6. Quanti intersint Episcoporum ex animo concordia, et conformitas in pastoralibus laboribus ad salutem animarum procurandam, ac regnum Christi instaurandum, nemo sane non videt. Oportet itaque ut, in gravibus et arduis sive pertractandis sive peragendis, hujus Provinciæ Episcopi mutua inter se consilia conferant; quoniam vis unita fortior, in iis quæ universam Provinciam respiciant, ac præsertim cum ali-

(1) Can. *Juxta sanctorum* 4, dist. 93. =(2) S. C. Conc. 17 Jul. 1757. =(3) Idem 12 Augusti 1628 in Burgen.

quid a suprema civili potestate sit petendum, collective, nisi aliud adjuncta suadeant, scribendum est atque agendum. Unoquoque, tandem, in anno comprovinciales Episcopi in unum coalescant, ut optimo cum eventu jam fit, ad Conferentias celebrandas, instructiones præ oculis habendo, quas de hujusmodi cœtibus dedit (1) Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus præposita, Summi Pontificis jussu.

(1) 29 April. 1892.

TITULUS IX.

De Synodis Diœcesanis.

Quam uberrimi sint fructus, Domino opitulante, ex Synodis Diœcesanis profluentes, melius non posset declarari quam his sancti Caroli verbis ad Clerum in undecima Synodo Milanensi congregatum: «Hic applicatio fit magis particularis Conciliorum tam Universalium quam Provincialium; mutuo sese Episcopus cognoscit et Clerus, qui quidem vel solus aspectus maximam excitat charitatem, animosque conciliat, ad adjuvandum et promovendum unanimiter Dei honorem. Hic consultantur ea quæ ad hoc spirituale regimen pertinent; cum his qui administrationis participes sunt: hic uniformitas deliberatur in executione legum præteritarum; hic abusus, qui vigent in populo, disquiruntur, et opportuna eis adhibenda remedia statuuntur, et, quam quisque in hoc diligentiam adhibeat, cognoscitur; hic demum præterita tempora cum futuris conferentes, et utriusque constitutiones et decreta jam edita applicantes, culpas quidem præteritas dessemus, emendare vero in posterum deliberamus».

1. Bis in anno olim cogebantur Diœcesanæ Synodi: mos autem illas annuatim tantum habendi tacite fuit a Lateranensi IV œcumenico Concilio approbatus, et expressis verbis a Tridentina Synodo (1), quæ, tamen, frequentiore celebrationem optabat. Dolendum sane est per tot temporis, pluribus obicibus concurrentibus, Synodos in aliquibus Provinciæ diœcesibus fuisse intermissas. Decernimus itaque ut, quam citius fieri queat post hoc Concilium editum, ad ejus-

(1) Sess. 24, c. 2 de reform.

dem executionem, in omnibus nostris diœcesibus Episcopales Synodi celebrentur, et ut postea, nisi justa causa obstaret, Tridentinum decretum fidelissime adimpleatur.

2. Sicut annuatim omnes vel plures parochias perlustrat Episcopus, et uniuscujusque statum investigat et cognoscit, sic vel quam maxime expedit singulis annis parochiarum gubernationi præpositos cum Antistite per aliquot dies congregari, ut de communi cleri et populi sanctificatione in Domino agatur: in qualibet Synodo celebranda, inquiretur quænam post ultimam fuerit cleri in disciplina progressio, et populi in christianis virtutibus exercitatio, ut de vitiis eradicandis et sanctimonia augenda, quod opportunius fuerit, provideatur; in aliquid præcipuum et speciale intendatur, nec necesse est ut plures in singulis materiæ pertractentur: facultas parochis omnibus detur scripto, quod personæ ad hoc designatæ tradatur, quotquot, non vero vanæ eruditionis vel zeli ostentandi gratia, circa postremæ Synodi executionem vel leges in posterum cum fructu condendas attentione dignum fuerint arbitrati, proponendi: ut autem omni, qua oportet, maturitate et prudentia statuta edantur, non abs re erit commissiones constitui, quibus viri gravitate, ætate et experientia in regimine parochiarum præstantes adscribantur, ut ea indicent quæ præcipue decernenda sint aut reformanda.

3. Synodo, dum vocantur, interesse tenentur qui parochialium Ecclesiarum curam gerunt, «quicumque illi sint» (1), et abbates sæculares intra diœcesim existentes (2): capitulum Ecclesiæ Cathedralis invitandum est ad Synodum (3), et si interesse recuset, cogi potest etiam per censuras ecclesiasticas (4). Si in Synodo agendum sit de rebus universum clerum tangentibus, omnes clerici vocati assistere debent (5).

(1) Conc. Trid., sess. 24, c. 2. —(2) Cap. *Quod super iis*, de majoritate et obedientia. —(3) Cap. *Et si membra*, de iis quæ fiunt a Prælatiis. —(4) S. C. Conc. 21 Mart. 1632. —(5) Idem, 13. Aug. 1650.

Nullus laicus jus habet ut ad Synodum invitetur (1), nec laicæ potestates exigere possunt ut eis constitutiones synodales, antequam promulgentur, ostendantur (2). Quoniam nostræ diœceses vastissimæ sunt, et plures in iis viæ asperæ et difficiles, ne per aliquot dies cura parochiali fideles priventur, Episcopus disponet quot et quinam, præter Archipresbyteros rurales et Ecclesiæ Cathedralis Canonicos et Beneficiatos, convenire debeant. Propter inopiam autem, qua noster premitur Clerus, admodum proderit ut occasione spiritualis secessus vel concursus parochialis, vel quando, ob aliam quamcumque causam, plures clerici ad civitatem Episcopalem concurrant, Synodus celebretur.

4. Prout ad Archiepiscopum Burgensem, et aliis præterea in causis, rescripsit Sacra Concilii Congregatio, die 5 Julii 1627, potest Episcopus edere synodales constitutiones, tametsi circa has Capitulum Cathedrale dissentiret, præterquam in casibus a jure expressis, ut decisum ab eadem Congregatione fuit in causa Urgellensi, anno 1581: quamvis autem in synodalibus constitutionibus condendis Capituli consilium sequi non teneatur, illud exquiri prout de jure (3) debet. Ex forma Pontificalis Romani, constitutiones in Synodo publicandæ utrum placeant, interrogatur Clerus; attamen, etsi major clericorum interessentium pars contradiceret nullius hac de causa constitutionis exitus retardaretur, sicut Capitulo Hispalensi, conquerenti quod Archiepiscopus absque illius consensu Synodum coegisset, Sacra Concilii Congregatio respondit (4). Immo nec clericorum non capitularium consilium requirere est opus, juxta Sacræ Congregationis decisiones: verum illud expetere, ut mos est, paterno Episcoporum regimini valde congruit, qui præterea sic, quod ad cleri et populi spiritualem utilitatem conducet, facilius et plenius

(1) S. C. Conc. 10 April. 1688. =(2) Idem, 14 April. 1615. =(3) Decretal. l. 3, t. 10, c. 5. =(4) 26 Novemb. 1689.

possunt cognoscere, et fidelius ad executionem decreta mandari fortassis videbunt; etenim gratum est clero, ut ejus consilium circa in diœcesi agenda exposcatur, et ea quisque majori animi alacritate perficit, quæ ipse prius approbavit.

5. Tridentinum præcipit (1) ut in singulis Conciliis diœcesanis aliquot personæ designentur, quibus causas ecclesiasticas judicandas Romanus Pontifex delegare possit. Ii, qui *judices synodales* vocantur et quator saltem in unaquaque diœcesi sunt deputandi, ad Capitulum pertinere debent, prout Bonifacius VIII decrevit (2); in diœcesana Synodo eliguntur, si Concilium provinciale eos non constituerit, de consilio, non de consensu Synodi: si aliquis moriatur ante tempus, quo Concilia, vel provinciale vel diœcesanum, sunt juxta tridentinam disciplinam colligenda, alius ab Ordinario, de Capituli consilio, usque ad futurum Concilium substituatur (3). Si vero Concilia intra tempus a Tridentino præfixum non congregentur, eligere eos nequit Episcopus, nisi facultatem a Sacra Congregatione obtinuerit; electorum vero, sive in Concilio sive extra Concilium, nomina Sedi Apostolicæ sunt notificanda (4).

6. Ad eos eligendum qui ordinandos vel ad confessiones licentiam accepturos examinent, nec consensu nec consilio Synodi indigent Episcopi. Sed qui ad parochias obtinendas concurrunt, examinandi sunt a tribus saltem ex *Synodalibus examinadoribus*, ex iis nempe qui, in numero ad minus senario, Episcopo proponente, a Synodo approbentur (5) vel a majori suffragia in Synodo emittentium parte, quique ad sancta Dei Evangelia jurare debent se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Examinadorum officium usque ad aliam Synodum durat, in

(1) Sess. 25, c. 10. = (2) Cap. *Statutum*, de rescriptis in 6.º =

(3) Conc. Trid. sess. 25 c. 10 de reform. = (4) Benedictus XIV, Bull. 26 Aug. 1741. = (5) Conc. Trid. sess. 24. c. 18 de reform.

qua nova electio est facienda, et ipsi reeligi possunt: sex saltem debent semper manere; quod si numerus ille, propter aliquorum vel mortem vel translationem, completus non inveniatur, eos, consensu Capituli, substituere valet Episcopus usque ad anni sequentis Synodum, qua non celebrata, tantum facultate a Sacra Concilii Congregatione obtenta, examinatores sunt constituendi.



TITULUS X.

De officio Vicarii.

Prioribus Ecclesiæ seculis per se ipsos Episcopi justitiam administrabant, consilio Presbyterii utentes. Crescente vero cum fidelium numero negotiorum multitudine, per Archidiaconum jus dicebant: mos postea invaluit, unde plurimum utilitatis provenit, ut, quem mallent, possent eligere in Officiale[m] seu Vicarium generalem, pro suæ voluntatis tempore, ad per illum jurisdictionem exercendam aliquo modo universalem, et cujus actus facerent suos, adeo ut ab ipsius sententia non possent recipere appellationem.

4. Etsi Episcopus sit, juxta recentiore[m] disciplinam, qui Vicarium eligit, quando ullum habere vult, electus tamen requisitis a jure qualitatibus esse debet ornatus. In primis, in nostra Hispania, tantummodo Sacerdotes possunt esse Vicarii generales (1): hi ætatem viginti et quinque annorum, utpote ad curam animarum (2), utque ad dignitates, quibus hæc subest (3), requisitam, habere debent, immo non juvenes eligi, ni singularibus meritis præfulgeant, oportet. Qui justitiam sunt administraturi, non alii constituentur, nisi qui jure sint eruditissimi, et in negotiis forensibus expediendis summa et prudentia et peritia insigniantur. Causæ ad forum ecclesiasticum spectantes non obiter sed omni maturitate e studio sunt pertractandæ; igitur hoc officium exercere prohibentur parochi (4), non solum propter eorum obligationem

(1) Const. *Decet Romanum*, Clement. VIII. —(2) Cap. *Licet* de elect. in 6. —(3) Conc. Trid. sess. 24, c. 12. —(4) S. C. Conc. 12 maj. 1629.

residendi, sed ex eo præterea quod duo simul officia recte adimplere perdifficile noscatur. Licet communiter Doctores tradunt Vicarium generalem originarium diœcesis, in qua jurisdictionem teneat, esse nequire, allegantes plures Congregationis super Episcopis et Regularibus declarationes, quæ et hanc reddidit rationem: «Nam propter consanguinitates, affinitates, familiaritates et alias attinentias, potest deviare a recto tramite justitiæ, vel certe se reddere partibus suspectum», attamen, absque reprehensione eligeretur diœcesanus, si in Domino id ad Ejus gloriam re veritatis conferre existimatum fuerit, observatis de jure observandis.

2. Summa diligentia utantur Vicarii Generales, ut quam citissime causas decendant, ne laicis de justitia ecclesiastica detrahendi ansa præbeatur: meminerint contra officium suum peccare si absque juxta causa in negotiis contentiosis valde differunt, atque ad restitutionem teneri damnorum parti læsæ obvenientium, atque expensarum quæ ab injusta dilatione sequantur. Concilium Tridentinum decrevit (1) ut «causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis dumtaxat cognoscantur, atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminentur; alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, judices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assument, et quam primum terminari curent».

3. Jura omnia cuilibet judici prohibent munera accipere, ut donatori in sententia saveat, vel ut ejus causa acceleretur cum aliarum injusta retardatione: verum, etiam si non ad hæc donentur munera, illicitum est ea accipere, eo quod subvertunt verba justorum (2), atque excæcant oculos judicum (3). Ab omni avaritiæ suspicione quam longissime absit Vicarius generalis, seu Provisor, ut ille in Hispania commu-

(1) Sess. 24 c. 20. =(2) Exod. 23, 8. =(3) Deuter. 16 19.

niter appellatur: non modo nihil supra taxam exigat, sed gratis omnino miserabilium personarum, et pauperum, pro paupertatis gradu, stipendiorum partem condonando, negotia expediat.

4. In processu conficiendo, non legum civilium, sed Sacrorum Canonum regulas sequatur Vicarius. Nam, Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium declarante (1), «per novissimas leges, quæ ad investiganda et coercenda crimina pro tribunalibus laicis promulgatæ sunt, nihil detractum de formis et regulis canonicis, quæ proinde sequi omnino debent, non solum in conficiendo processu..... verum etiam in pœnis decernendis». Nec ulla est omnino obligatio circa ea, de quibus nihil in ecclesiasticis legibus dicitur, ad normam juris civilis procedendi; hæc autem sequi potest, dummodo ab Ecclesia non fuerit reprobata: sed pro causarum natura et personarum qualitate, aliorumque adjunctorum habita ratione, liberum sit Provisori, prout in Domino utilius esse reputaverit, sequi vel non tramites et terminos ac diligentias, quæ apud curiam laicam servantur.

5. Præter casus in quibus extrajudiciali remedio *ex informata conscientia*, quod adhibendum decrevit Concilium Tridentinum (2), uti, juxta regulas a Sacra Congregatione statutas, possint et debeant Episcopi, quum, quod absit, de clericorum causis disciplinaribus et criminalibus sit agendum, si judiciorum ordinariorum solemnitates vel non oporteat, vel non sit possibile adhibere, æconomicâ formâ in Curia procedatur, pro norma sumendo sapientissimam, quam Sacra Episcoporum et Regularium Congregatio die 11 Junii 1880 dedit, instructionem, Leone XIII approbante et confirmante.

6. Summopere caveat Vicarius generalis, ne matrimonia invalida, propter rei accurati examinis defectum et nimiam in negotiis expediendis festinationem, celebrari permit-

(1) 18 Dec. 1834. —(2) Sess. 14, c. 1 de refor.

tat. Verum præter in iis quæ ad certitudinem de matrimonii contrahendi valore aut honestate gignendum spectant, curandum est, ut umquam hodiernis temporibus, ne a matrimonio in facie Ecclesiæ ineundo aliqui absterneant fideles, suam forte malitiam sub colore tegendo immoderati et pecuniæ et temporis dispendii in Curia ecclesiastica faciendi: tramites itaque non necessari vitentur; personæ ecclesiastici Tribunalis, quarum opera retributa non omnino requiritur, supprimantur; in omnibus possibile temporis compendium fiat; et præ forensi ritualismo et formulis juridicis non substantialibus charitas et animarum zelus regnent.



TITULUS XI.

De ceteris Tribunalis Episcopalis personis.

Rectissime in Bulla *Auctorem fidei* damnata fuit Synodi Pistoriensis propositio affirmans Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus pœnis cœercendi atque cogendi. Nam fideles jubentur in Sacris Scripturis obedire præpositis suis (1), quos non audiens Christum non audit (2). Paulus, cujus plura quam ceterorum Apostolorum ad nos usque pervenerunt scripta, minabatur virgam (3) et profitebatur «se in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam» (4) et *notari* inobedientem debere (5). Ex hac autem Ecclesiæ potestate legislativa, sicut ex eo quod societas ecclesiastica sit perfecta atque a civili distincta, plane consequitur ejusdem potestas judiciaria, cujus regulas practicas tradiderunt Christus ipse (6) et divus Paulus (7), quamque Principem Apostolorum exercuisse constat (8). Forum contentiosum, Sanctis Patribus approbantibus, apud Ecclesiam semper extitit, in quo præter personas ad iudicium necessarias, videlicet, actorem, reum, et iudicem, curiæ ministri, qui ad forensem apparatus et iudiciorum solemnitatem pertinent, cognoscuntur, pro diversa temporum ratione, constituti.

4. In omnibus episcopalibus curiis Promotor Fiscalis debet esse, ad Ecclesiæ jura defendenda et Vicario generali in quibusdam consilium præstandum. Ad tantum munus, prout

(1) Hebr. 13, 17. =(2) Luc. 10, 16. =(3) 1. Cor., 4, 21. =(4) 2 Cor. 10, 6. =(5) 2 Thes., 3, 14. =(6) Math. 18, 15. =(7) 1. Tim. 5, 19. =(8) Act. Apost. 5.

debet, implendum, vir eligatur non juris scientia et vitæ integritate solum, sed animi etiam fortitudine præstantissimus; præcipimus autem ne ullus Fiscalis generalis diœcesanus constituatur, qui sacerdotali caractere prius non sit insignitus. Volumus etiam ut, tametsi paucæ fuerint causæ in quibus Promotor Fiscalis agere debeat, ad ejus in absentis et infirmitatibus vices gerendum, clericus eligatur, qui et nomen et officium *Advocati fiscalis* recipiat.

2. Ubi de matrimonii initi, quod fœdus est indissolubile, agitur validitate, ne Ecclesiæ ac civilis societatis, non minus quam nuptorum jura, separando quod Deus conjunxit, lædi contingat, *Defensor matrimonii* interveniat, vir juris scientia peritus et ecclesiasticus morum honestate commendabilis, de suo munere exacte adimplendo juramentum in cujusque causæ initio emissurus, qui citandus est ad unumquemque judicialem actum, et testium examini debet adesse, necnon voce ac scriptis matrimonii validitatem tueri, et a sententia judicis ecclesiastici matrimonium invalidum pronuntiantis, saltem si duæ conformes non habentur, appellare. Simili modo, dum de valore aut nullitate professionis religiosæ sit judicandum, *Defensor votorum* suum necessarium munus expleat.

3. Decernimus ut in singulis hujus Provinciæ diœcesibus aliquis, præter Promotorem Fiscalem, in *Defensorem matrimonii* eligatur, nihil obstante praxi quæ alicubi obtinet, munus *defensoris* Fiscali committendi: diversa enim uniuscujusque sunt officia; siquidem Procurator Fiscalis suo munere fungitur ut fisci ecclesiastici, nempe Ecclesiæ publici boni, jura tueatur; Defensor autem matrimonii pro conjugiorum tantum firmitati consulendo fuit creatus: ille ex antiquis apparet constitutus; hujus autem officium ad recentiore disciplinam spectat: ille, cujus partes potissime sunt delicta publica Vicario Generali deferre et coram Tribunali ecclesiastico persequi, non a judicis sententia appellare in conscientia po-

test, nisi eandem injustam arbitretur; hic vero, etiamsi recte connubii nullitatem declaratam fuisse creda, ab annulationis prima sententia appellare tenetur: nec in Bulla *Dei miseratione*, qua *Defensoris* officium condidit Benedictus XIV (1), ullum verbum de Fiscali fit, quod faciendum videtur, si sapientissimus ille Pontifex non diversas personas futuras esse intelligeret ac vellet.

4. Tam in ordinario quam in extraordinario iudicio adhibenda est, si potest haberi, publica persona, prout Innocentius IV in Concilio Lateranensi fuit locutus (2), Notarius nempe, aut duo viri idonei, «qui fideliter universa iudicii acta conscribant». Illi quibus tabellionatus munus creditur, legitimo matrimonio nati, et ea gravitate, morum integritate, et prudentia instructi, qua opus est, ut recte suum munus gerant, praesertim quoad secretum servandum, iusjurandum de suo officio, ante ejusdem captam possessionem, fideliter adimplendo praestare teneantur.

5. In causis fidei jus praecipit (3) ut *Notarii* sint clerici: quoad ceteras vero iis Decretales (4) Notariatus officium interdicit; haec autem prohibitio, juxta quosdam interpretes, solum Notariatum in curiis secularibus respicit; juxta alios, propter particulares abusos et pro aliquibus dumtaxat aut praecipue regionibus editae fuerunt: quodcumque dicatur, certum est consuetudinem generalem legi scriptae praevaluisse: Notariatus, cujus nomen habuit unus ex antiquis minoribus Ordinibus, in pluribus omni tempore curiis ecclesiasticis ab ecclesiasticis viris fuit exercitus. Non pauca suadent ejusmodi cancellarios sacerdotes esse expedire: causas criminales clericorum a laicis examinari decori sacri Ordinis non congruum videtur, nec sine periculo est, generatim loquendo, secreta vitae quorundam sacerdotum, causas spirituales et sacramen-

(1) 29 Novemb. 1741. = (2) Cap. *Quoniam*, 11 de probationibus. = (3) Sext. Decret. lib. 5, tit. 2, c. 11. = (4) Lib. 3, tit. 50, c. 8.

tales ac cetera ejusmodi a laicis ex officio cognosci; ad hæc, clerici in iudicium vocati et propter excessus puniendi, minus ægre processum ferent, si a collegis tantummodo conficiendus sit atque expediendus; præterea hæc officia, in præmium et animi stimulum, conferri debent clericis scientiæ canonicæ studiosis et Ecclesiæ bene meritis, qui laicis in omnibus, ceteris paribus, anteponi ab Episcopis debent, præsertim quum hæc tempestate paucissima sint ministeria, in quibus obeundis ad honestam et congruam sustentationem necessaria sacerdotes lucrentur. Quapropter constituimus, ut in posterum non alii præter clericos in tota hæc Provincia Tribunalium ecclesiasticorum, tam ad judicialia quam ad extrajudicialia, nominentur Notarii, nisi aliud suadeant omnino specialia adjuncta, quorum examen Ordinariorum prudentiæ reliquit Concilium.

6. Tam in civili quam in ecclesiastica curia, quum partes litigantes sua jura sæpe per se ipsos tueri nesciant, nolint aut nequeant, facultas datur alteri, qui Procuratoris nomen accipit, negotia committendi, qui illarum loco et nomine ea gerat atque expediat. Præcipimus autem, ut in Tribunalibus ecclesiasticis hujus Provinciæ nullus Procurator ad munus suum exercendum admittatur quin fidei professionem juxta præscriptam formulam et juramentum de officio fideliter exequendo emiserit, quod et de Advocatis dictum esse volumus. Etiam in negotiis non contentiosis Procuratores possunt constitui: verumtamen ad compendium temporis et pecuniæ faciendum, utque facilior reddatur matrimonii canonici celebratio, permittendum est fidelibus impedimentorum petentibus dispensationem ut, si ita iisdem placuerit, Notariis vel Vicario ipsi generali petitiones suas exponant, prætermisiss omnino Procuratoribus et negotiorum Gestoribus, nisi in aliqua diœcesi, præter generalem et antiquam et ab omnibus probatam consuetudinem contrariam, singulares circumstantiæ aliud suadeant Episcopo.

7. Sicut expensas molestiasque fidelibus minuere, sic in Curia ecclesiastica Tribunalis decus et judiciorum ordinariorum extrinsecam solemnitatem, atque illius membrorum ad omnia rite gerenda numerum augere oportet. Idcirco jubemus, ut in singulis nostris diœcesibus duo clerici deputentur, alius *Procurator*, alius vero *Advocatus pauperum*, qui iis, dum ut tales declarentur, in quibuscumque causis civilibus et criminalibus gratis assistant: illos esse volebat Benedictus XIII «viros pietate et doctrina præstantes, cum assignatione aliqujus mercedis, si possibilis foret; et de iis electis habeatur ratio in provisionibus beneficiorum».

8. Quoniam nec possibile nec decorum est judicem ipsum aut actuarios in jus litigantes vocare, citationes omnes intimare et mandatorum judicialium executionem perficere, ad hæc aliaque hujusmodi in omnibus curiis episcopalibus debet aliquis laicus ab auctoritate ecclesiastica deputari, qui ut persona publica in foro habeatur.

9. Ipse apparitor seu cursor, aut alia ad hoc specialiter designata persona, curam habeat carceris ecclesiastici, quem penes unumquemque diœcesanum tribunal a remotissima antiquitate, sub nomine *decanicæ*, historica monumenta indubitate ostendunt. Rarissime in præsens, propter Dei misericordiam, necesse erit clericos in custodiam detrudi: attamen, ob fori ecclesiastici privilegii, adeo in praxi diminuti et coarctati, conservationem, valde prodest ut aliqua domus vel saltem domi pars in singulis diœcesibus appareat ad id destinata, ut sententia reclusionis adversus clericum a iudice ecclesiastico lata possit ab ipso in executionem mitti.



TITULUS XII.

De Canonicis et Beneficiatis.

In sublimi loco constituti sunt qui præbendis in Ecclesia Cathedrali gaudent: cleri enim diœcesani sunt membra nobiliora; ceteris præeminent sacerdotibus; et primum post Episcopum tenent honorem. Huic autem celsæ præeinentiæ gravissima respondent officia.

1. Concilium Tridentinum præcipit (1) ut Canonici vestitu decenti tam in Ecclesia quam extra assidue utantur, speciatimque eos jubet ab illicitis venationibus, choreis, tabernis, lusibusque, hanc exhibens rationem magnæ morum integritatis qua pollere deceat Canonicos, nempe, «ut merito Ecclesiæ senatus dici possint».

2. Ex ipsa etiam canonicalis officii natura plane deducitur quantum in præbendatis esse oporteat disciplinarum ecclesiasticarum studium. *Ecclesiæ Senatus* cum sit Capitulum, cumque præcipuum capitularium munus sit consilium Episcopo petenti impertiri, neminem fugit quali scientia præditos esse deceat ad proprium officium implendum qui auctores in difficilibus atque arduis Antistiti esse tenentur. Peroptat igitur Synodus ut hujus Provinciæ Episcopi in præbendarum provisione, dummodo alia non obstant, majori laude in scientiis excolendis florentes eligant, unde et illis maxima obveniet utilitas, et honorum studiorum verum et efficax incitamentum præbebitur.

3. Ad officium Canonicorum Beneficiatorumque pertinet, prout Concilium Tridentinum loquitur, «in choro ad psallen-

(1) Sess. 24, c. 12 de Refor.

dum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare»: adeo ut sanctus Pius V (1) grave peccatum admittere et distributiones non lucri facere affirmet qui, nisi legitimum impedimentum eos excusaverit, præsentés, sed non recitantes, adsunt horis canonicis; et Benedictus XIV (2) eos acriter impugnaverit qui opinantes satis fecisse ad munus implendum choro assistentes, licet psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu non se adjungant, pro se adducebant «inveteratas consuetudines, statuta peculiaría, aut etiam prætensa Ecclesiarum suarum privilegia»; necnon Sacra Concilii Congregatio, declarationibus sæpe alias editis inhærendo, censuerit (3) obligationi suæ non satisfacere qui per se ipsos non psallunt, «quacumque etiam immemorabili contraria non suffragante consuetudine». Proinde, ad suum munus divina officia solemniter canendi recte obeundum, tenentur canonici et beneficiati cantum Gregorianum addiscere, possuntque ad id compelli ab Episcopo non tantum distributionum quotidianarum, sed etiam fructum præbendalium subtractione (4). Cantus vero non alius adhibeatur nisi ille quo utitur Romana Ecclesia (5).

4. Notum est quantum Ecclesia cupiat quibusque gravissimis verbis præcipiat ut officium divinum integrum in choro cantetur et recitetur studiose (6), devote (7), exacte, ac maxima qua decet reverentia et religione (8), haud festinanter, nulla vocabula præcidendo, paulisper voce subsistendo, ubi asteriscus interponitur (9). Quæ omnia, sicut et uniformitatem in rubricis choro servandis, a Nobis curandum est ut fideliter adimpleantur a canonicis et beneficiatis.

(1) Const. an. 1571. =(2) Const. 19 Aug. 1744. =(3) 17 Septemb. 1667. =(4) S. C. C. 19 Novemb. 1735. =(5) S. R. C. 7 Jun. 1894. =(6) Decret. l. 3, t. 41, c. 9. =(7) Clementin. l. 3, t. 14, c. 1. =(8) Benedictus XIV, Const. *Cum semper oblatas*. =(9) S. R. C. 9 Jul. 1864.

5. Præcipua officii divini pars, ad quam ceu præparatio horæ ordinantur, est Missa conventualis, quotidie celebranda in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, neque omittenda, prout Sacra Rituum Congregatio (1) ad Burgensem Ecclesiam rescripsit, ob Missas votivas juxta foundationem a Capitulo canendas. In feriis et vigiliis et alias non una, sed duæ aut tres, secundum diei rubricas, Missæ conventuales sunt cantandæ, quibus omnibus chorus assistere tenetur (2): absque indulto apostolico non licet aliquam ex his Missis legere, tuncque ab assistentia canonici non excusantur (3), nec diaconum et subdiaconum omittere. (4).

6. Præter Missas conventuales de officio currente (5), quæ, quemadmodum quoad ceteras a laudabili consuetudine est admissum, pro benefactoribus in genere sunt applicandæ, statuimus, ut, juxta Rubricas generales Missalis (6), post primam horam canonicam, primo die cujusque mensis non impedito, pro benefactoribus defunctis Missa de *Requiem* celebretur. Primis Ecclesiæ nascentis incunabulis, quod per aliquot postea secula in usu fuit, nomina, prout advertit Benedictus XIV (7), eorum, qui sua liberalitate patrimonium alicujus Ecclesiæ auxerant, sacris Diptychis consignata erant, ad perpetuam beneficiorum recordationem et gratitudinem: Concilium Tridentinum præscripsit (8) ut aliqua semper commemoratio fieret defunctorum «qui pro animarum suarum salute legata ad pios usus reliquerunt». Præcipimus et Nos, ut in singulis hujus Provinciæ Ecclesiis cathedralibus necnon in collegiatis, quoniam præterea ob vicissitudines temporum plures Missæ et officia et preces antiquarum foundationum omittuntur, benefactorum tam priscorum quam

(1) 16 Maj. 1326. =(2) S. R. C. 22 Aug. 1628. =(3) S. C. C. 7 Jun. 1845. =(4) S. R. C. 17 Jul. 1627. =(5) Benedictus XIV *De Sacrificio Missæ*, sect. 2, parag. 60. =(6) Tit. 5, n.º 1. =(7) Const. 19 Aug. 1744, parag. 14. =(8) Sess. 25, c. 4.

recentiorum nomina sedulo investigentur et in libro inscribantur, quorum die intra hebdomadam aut mensem designata aliquot post kalendam in Prima alta voce recitentur, aut, si opportunius videatur, initio cujusque capitularis conventus, aliquas tunc preces pro illis fundendo; sic ut per anni ecclesiastici decursum *memoria* omnium fiat benefactorum.

7. Ad supradicta munera implenda residentiae lege adstringuntur canonici et beneficiati, quos ultra tres menses quolibet anno abesse ab Ecclesiis prohibet Tridentina Synodus, ita ut vacationis tempus, quod majus esse potest ob benignam Apostolicæ Sedis concessionem (1), ultra nonaginta dies extendi nequeat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis. Si extra diocesim, aut in adventu et quadagesima, canonici abesse vellint, sancimus, ut ab Antistite licentiam petant. Non Capitulo sed canonicis permissæ fuerunt vacationes: ea propter ad cultus splendorem servandum inhibemus, ne unquam ultra tertiam partem simul recedant canonici et capellani assistentes.

8. Quo melius assiduitati in choralis assistentia consulatur, statuit Tridentina Synodus (2) ut in iis Ecclesiis in quibus adeo tenues distributiones sunt ut verisimiliter negligantur, tertia pars omnium fructuum in distributiones quotidianas converti debeat, quæ inter divinis interessentes proportionabiliter dividatur: sed contra intentionem Ecclesiæ agerent qui solummodo ob has lucrandas ad chorum convenirent, et reprehensione digni sunt qui, fortasse cum fidelium offensione, eas horas et functiones numquam omittunt in quibus majores distributiones recipiuntur, dum ceteris negligunt assistere.

9. Ad omnia quæ ad Capitula referuntur rite ordinanda, decernimus ut infra sex menses post Concilii pro-

(1) Benedictus XIV Instit. 107, parag. 6. —(2) Sess. 21, c. 3 de refor.

mulgationem Statuta capitularia Episcopis ostendantur, qui emendatione et additione digna, si quæ fuerint, corrigant et addant: quod si nulla extiterint scripta, vel antiquata sint, aut plura reformanda habuerint, jubebunt Episcopi ut intra semestre novæ Constitutiones ab ipsis approbandæ typis vulgentur et inter omnes servitiis chori addictos distribuantur; in iis autem condendis, prout Benedictus XIII (1) a Metropolitanis omnibus in Conciliis provincialibus constitui imperavit, nihil sit «quod a juris dispositione et Congregationum decretis usuque recepto et approbato exorbitet, sed illa apposite statuatur quæ pro opportunitate et necessitate temporum, rerum et locorum ad divini cultus augmentum, sanctoris disciplinæ observantiam et Ecclesiarum utilitatem statuenda judicaverint».

10. Præ oculis habeatur ad Statuta capitularia conficienda, et ubi de qualibet praxi liturgica dubium suboritur, consuetudines, quantumvis immemorabiles, Rubricis Missalis, Breviarii, Cæremonialis Episcoporum, Ritualis Romani, et Sacræ Rituum Congregationis decretis in collectione Gardeliniana contentis aperte repugnantes, licet in his de consuetudine immemorabili nulla mentio fiat, *tamquam abusus et corruptelas* esse reprobandas (2). Nec sub antiquitatis consuetudinis colore permittatur disciplinæ severitatem nervumque relaxari. Etiam si, exempli ergo, immemorabili consuetudine fuerit admissum frui vacatione dicta *de barba*, seu ad barbam tondendam, præter tres menses conciliares, et conventum capitularem celebrari dum canitur Missa conventualis, omnimodo hæ praxes eliminandæ sunt, prout Sacra Concilii Congregatio ad postulatam in relatione status Ecclesiæ Compostellanæ exhibitam respondit (3).

11. Concilio Tridentino inhærentes, quod interdictum (4)

(1) Conc. Roman. an. 1725, tit. 2, c. 5. —(2) S. R. C. 14 Jul. 1882. —(3) 12 Jan. 1895. —(4) Ses. 7, c. 13 de reform.

ne præsentati a quibusvis personis ad quævis ecclesiastica beneficia instituantur, nisi fuerint prius ab Ordinario examinati et approbati, præcipimus, ut, ante canonicam collationem, per Tribunal, cui ipse Episcopus, vel, eo legitime impedito, Provisor præsidebit, examinentur quicumque a Gubernio fuerint ad dignitates, canonicatus et beneficia nominati, iis exceptis quos, ob approbationem in concursu parochiali vel Licentiatus lauream in Theologia aut in Jure Canonico obtentam, vel ob aliam consimilem causam, Prælati vere idoneos et sufficienti scientia præditos reputet. Si præsentati indigni reperiantur, eorum autem delicta in ordinario iudicio persequi non expediat, nequit Ordinarius, etiamsi certus omnino sit de electi indignitate, eum, ex informata conscientia, a beneficio excludere: verumtamen ad id procedi tunc potest æconomice ad formam Instructionis anno 1880 a Sacra Episcoporum et Regularium Congregatione editæ, «cum appellatione ad Metropolitanum in casu», prout Sacra Concilii Congregatio (1) declaravit.

(1) 9 Aprilis 1892.



TITULUS XIII.

**De Capituli Cathedralis cum Episcopo
relationibus.**

In Concordato anni 1851 Apostolicam Sedem inter et Hispaniam (1) *Senatus et Consilium* Episcoporum appellantur Capitula cathedralia, quæ utique hac appellatione a priscis temporibus, tamquam successionem et repræsentationem antiqui *presbyterii urbani* seu *civitatis cleri* obtinentia, fuere donata, præcipue autem a Concilio Tridentino (2). Membra præterea episcopatus sunt canonici, dicente Alexandro III ad Hierosolymitanum Patriarcham (3): «Tu et fratres tui unum corpus estis, ita quod tu caput et illi membra esse probantur, unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium et honestati tuæ, et Sanctorum Patrum institutionibus contra ire».

4. Quoniam oportet audire consilium (4), et sine illo nihil facere (5), sapientes imitando (6) eosque qui reguntur sapientia (7), nam salus ubi multa consilia (8) et absque consilio non est prudentia (9), ideo sicut Summus Pontifex Cardinalium, suumque consilium habent qui societatem civilem regunt, sapientissime institutum fuit ab Ecclesia ut Episcopus a cœtu prudentum virorum in aliquibus consilium petere teneatur, in ceteris autem poscere valeat. Canonici itaque dum hoc tantum munus Antistitem consilio juvandi sint adimpleturi, in quo et secretum fidelissime servare debent, ingenue et vera sinceritate quod sentiunt aperiant,

(1) Art. 15. =(2) Ses. 24. c. 12. =(3) Cap. *Novit* 4 de his quæ fiunt a Prælat. =(4) Prov. 19, 20. =(5) Eccli. 32, 24. =(6) Prov. 12, 15. =(7) Ibid. 13, 10. =(8) Ibid. 24, 6, =(9) Deuter. 32, 28.

omni diligentia rem examinent, difficultates perpendendo et contrarias apparentes rationes ad trutinam revocando, et nulla personali affectione ducantur, in iis præsertim paucis Jure expressis, in quibus Prælati Capituli consilium non petere modo sed sequi etiam tenentur.

2. Episcopo Sacrum litanti aut alia pontificalia exercenti in Ecclesia cathedrali vel collegiata canonici omnes, nisi qui legitime vacationibus utantur, *assistere et inservire* (1) debent; eumque cappa indutum ad Ecclesiam progredientem et in redeundo canonici omnes in choralibus habitu comitari et deducere tenentur (2). Similiter præsentibus esse jubentur dum ordinationes sacrorum ordinum, statutis a jure temporibus, in cathedrali Ecclesia celebrantur (3), et aliquorum saltem assistentiam, etiamsi ordines minores tantum in sua cathedrali ministraret, Episcopum exigere posse in causa Burgensi declaravit Sacra Concilii Congregatio (4). Etiam extra cathedralem in civitatis episcopalis Ecclesiis functiones pontificales Antistiti exercenti aliqui de Capitulo assistere renuere nequeunt (5).

3. Episcopo licet pro suo servitio duos canonicos vel beneficiatos adhibere, qui «suarum fructus integre percipiant præbendarum» (6), «nisi forte sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi» (7): pro spirituali autem Seminarii administratione consilio duorum canonicorum, seniorum et gravium, quos ipse elegerit, uti tenetur, sicut ad ejusdem temporalem administrationem in consilium vocare debet duos de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo eligatur, et duos de clero civitatis, alium ab Antistite, alium vero a Clero ipso electum (8).

(1) C. Trid. sess. 24. c. 12. —(2) Cærem. Episc. 1. 1, c. 15. —

(3) C. Trid. sess. 23, c. 8. —(4) an. 1582. —(5) S. R. C. 6 Augusti. 1763. —(6) Decret. 1. 3, t. 4, c. 15. —(7) Decret. 1. 3, t. 4, c. 7. —

(8) Cone. Trid. ses. 23, c. 18.

4. De Capitulis exemptis, quod igitur majori rationis vi ceteris applicari debet, hoc edixit Tridentina Synodus (1): «Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; iisque in choro, et in Capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas».

5. In mutuis relationibus Capitulorum et Antistitum pax summa, concordia et charitas, ut servantur ac foveantur adnitendum. Dolendum namque foret, si Capitula quæ, dicente Tridentino (2), ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuere instituta, in ejusdem progressu promovendo obex Episcopis essent; si unum veluti corpus cum Prælati conficientes, supra hos, qui capita sunt, evehi vellent; si tandem qui ad id instituti sunt, ut Antistibus juvamen præsentent, ad eorundem tantummodo zelum carpendum atque opera forte impedienda inservirent, fidelium offensionem incurrendo.

6. Denique, quæ opportunissime de Episcopos inter et Capitula relationibus in Concordato vigenti, præcipue autem in articulis quatuordecimo et decimo quinto, sanciantur, ad unguem observentur. Quum hodie (3) dimidiæ partis canonicatum et beneficiorum quæ *de gratia* dicuntur, tam in Ecclesiis cathedralibus quam in collegiatis, provisio prævio concursu fieri debeat, eisque specialia officia et onera a Prælati, de Capituli consilio, imponi possint, in hujusmodi muneribus assignandis, quæ nec supra modum gravia esse, nec facile ab iisdem adimplendis dispensari oportet, omni maturitate pensetur quid utilius futurum sit, habita ratione temporum et cujusque Ecclesiæ adjunctorum: quoniam quam maxime nunc expedit ut folia quotidiana catholica impiis, quæ latius in dies augentur, apponantur, non inconveniens foret ut in

(1) Ses. 25, c. 6 de reform. — (2) Ses. 24, c. 12 de reform. — (3) Reg. decret. 6 Decemb. 1888.

unaquaque diœcesi canonicus sit, qui ex onere suæ præbendæ periodicum moderare, si a Prælato jubetur, teneatur; vel saltem ut, ceteris paribus, in hujusmodi canonicatibus providendis, illi anteponantur inter oppositores, qui scribendi facilitate et venustate polleant, quique defensionis causæ catholicæ scriptis jam operam naverint, juxta regulas toties a sapientissimo Leone XIII Papa præscriptas, ut in Epistola ad moderatorem ephemeridis catholicæ Lambertum Eygenraam (1).

(1) 15 Decemb. 1895.



TITULUS XIV.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

Frequentiores causæ, ob quas Sedes fit vacua, sunt mors Episcopi, et ejusdem renuntiatio, vel ad aliam translatio. Tam in renuntiatione, cujus acceptatio ad Summum Pontificem pertinet, quam in translatione, Sedem vacare censetur, prout declaravit Sacra Concilii Congregatio (1), simul ac Prælati ab ipsius vinculo in Consistorio Pontificio absolvitur, et notitiam hujusmodi absolutionis habet, etiam ex testimonio Secretarii Sacri Collegii.

1. Per vigens Concordatum, derogata legislatione quæ spolia Prælatorum respiciebat, facultas iisdem facta fuit libere, prout sua cuique conscientia suggesserit, de mortis tempore relictis disponendi, quibus præterea ab intestato legitimæ hæredes succedunt: «utroque tamen in casu excipiuntur ornamenta et vestes pontificales, quæ Mitræ propriæ censebuntur et ad successores in illam transibunt» (2). Quænam sint utensilia sacra, de quibus, vigore Constitutionis sancti Pii V, incipientis *Romani Pontificis*, Prælatos disponere non licet, Pius IX declaravit (3) in Apostolicis litteris *Quum illud plurimi*, quæ vigent in Hispania juxta regiam ordinationem die 22 Maji anni 1864. Ut omnis autem dubitationis occasio tollatur, præsertim dum Episcopus plures successive Ecclesias rexerit, quoniam pensio annua a Gubernio attributa redditus ecclesiastici rationem habet, omnino servetur quod ab eodem Papa præscribitur, ut nempe ab Episcopis conficiatur ornamentorum, quibus utuntur, inventarium, in quo exprimatur quando et quibus redditibus fuerint acquisita, sicut et rerum quæ ad suc-

(1) 24 Decemb. 1624 = (2) Art. 31. = (3) 1 Junii 1847.

cessores transire debeant. Observetur etiam quod in Litteris Sacrae Congregationis Universalis Inquisitionis die 25 Martii anni 1889 praescribitur, ut Episcopi reliquias sanctissimae Crucis, quas, in dies rariores, thecis inclusas, pectore praese suspensas ferunt, successoribus suis transmittendas curent.

2. Defuncti Antistitis exequiae in Ecclesia cathedrali celebrentur, curante Capitulo, ut omnia in Episcoporum Caeremoniali praescripta servantur, non ommissa monitione ad Episcopum proximiorum ut, si vult, assistere queat. Inter Canonici Magistralis obligationes, dum per edictum oppositionis sint designandae, haec annumeretur in Episcopi funeribus gratis concionandi: liberum tamen Capitulo relinquatur, vel, de hujus consensu, familiae aut haeredibus defuncti, alium praedicatorum eligere. Quamprimum Ecclesia vacaverit, juxta tridentinam praescriptionem (1) «supplicationes ac preces publice privatimque habeantur, atque a Capitulo per totam dioecesim indicantur, quibus clerus populusque bonum a Deo Pastorem valeat impetrare».

3. Praescribitur a Tridentina Synodo (2) ut, Sede vacante, Capitulum, *ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit*, oconomum unum vel plures decernat ad rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerendam, quorum rationem futuro Episcopo reddat: quoniam locum *fructuum*, de quibus Tridentinum, tenet in Hispania pensio quae tempore vacationis a Gubernio solvitur, ut, deductis emolumentis *oconomo* respondentibus et sumptibus ad urgentem episcopalis palatii restaurationem requisitis, inter Conciliare Seminarium et futurum Praelatum aequaliter dividatur, ideo in Conventione anno 1854 inter Sanctam Sedem et Hispaniarum Regnam inita praescribitur (3) ut per Capitulum oconomus deputetur «ipso actu electionis Vicarii capitularis».

4. Vacante Sede Episcopali, dioecesis administratio ad

(1) Sess. 24, c. 1 de reformat.=(2) Ibid. c. 16 de reformat.=(3) Art. 37

Capitulum cathedralis Ecclesiae devolvitur; quod olim, prout in litteris Apostolicis Pii IX *Romanus Pontifex* (1) habetur, per se ipsum diocësim, toto tempore quo Sedes vacabat, administrare poterat: at Tridentina Synodus sapientissime constituit (2) ut Capitulum, infra octo dies post mortem Episcopi, vel ejus Vicarium confirmet, vel alium eligat. Ante hujus electionem, Capitulum jurisdictionem exercere in corpore per se ipsum valet: consultius tamen est, monente Benedicto XIV (3), ut administratio nomine Capituli exercenda usque ad Vicarii constitutionem alicui e Capitularium cœtu demandetur: Quamobrem præcipit hæc Synodus, ut intra tres post Sedis vacationem dies Vicarius suffectus deputetur, prooptatque, ut in capitularibus condendis statutis cujusque in hac Provincia Ecclesiae Cathedralis expressis verbis decernatur quisnam Capituli jurisdictionem, exempli gratia, Prælati defuncti, Provisor vel Decanus, assumere debeat sine electione usque ad Vicarii capitularis constitutionem definitivam.

5. In Vicario capitulari nominando Dei honorem et Ecclesiae utilitatem tantummodo quærant canonici, sollicitè qualitates omnes eligendi considerantes. Etiam si digniores extra Capitulum essent, non nisi canonicus eligatur (4), præterquam in casu, vix possibili, quo nullus de gremio Capituli idoneus inveniretur. Vicarius capitularis, ait Tridentina Synodus, «saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias, quantum fieri potuerit, idoneus». Unde non nisi doctor vel licentiatus, non autem in Theologia, sed in Jure Canonico (5), eligatur, sub invaliditatis pœna (6), præter casum quò nullus canonista in Capitulo inveniatur, vel qui inveniuntur idonei non fuerint, tum ob defectum sufficientis scientiæ, tum alia quacumque de causa.

(1) An. 1873. =(2) Sess. 24, c. 16, de refor. =(3) *De Synodo diocësansa*. l. 1, c. 9 n.º 1. =(4) S. C. C. 14 April. 1764. =(5) S. C. E. 13 Februar. 1672. =(6) Idem 18 Augusti 1668.

6. Omnino servetur quod in postremo Concordato (1), juxta Tridentini disciplinam et quamplures Sacrae Concilii Congregationis resolutiones, statuitur, ut nempe *unus tantum* Vicarius capitularis eligatur, in quem tota Capituli ordinaria potestas transferenda, quavis ex parte ipsius reservatione aut limitatione penitus exclusa, et quin electio semel facta revocari, neque ad novam procedi possit.

7. Si infra octo dies post mortem Episcopi Vicarius non fuerit constitutus, deputatio hujusmodi, statuente Concilio Tridentino, ad Metropolitanum devolvitur, et dummodo Pastore caruerit Metropolitana Ecclesia, ad antiquiorem suffraganeum Episcopum (2), qui infra alios octo dies Capituli negligentiam supplere debent. Idem statuitur a Concilio Tridentino pro casu in quo non doctor, vel licentiatus, vel alias idoneus eligeretur: tuncque igitur Metropolitanus vel alium Vicarium constituet, vel Capitulo ad novam electionem terminum octo dierum assignabit, quamvis consultius foret, ob rei arduitatem et momentum, ut ab Apostolica Sede iudicium exquireret.

8. Tota ordinaria Episcopi jurisdictio ad Vicarium transit (3), licet non ea quae illis competit jure speciali (4). Ast, prout habetur in Decretalibus (5), «vacante Sede, status ejus mutari non debet..... aut aliquid innovari, cum non sit qui episcopale jus tueatur». Nec infra annum a die vacationis, absque Sacrae Congregationis Episcoporum licentia, litteras dimissorias, nisi beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi arctatis, Vicarius dare potest; et alia plura eidem a jure prohibentur. Denique, Concilium Tridentinum imperat ut Episcopus ad Ecclesiam vacantem promotus, sicut ab aëonomo, a Vicario rationem exigat administrationis muneris ejus.

(1) Art. 20. =(2) S. C. C. 28 Augusti 1683. =(3) Pius IX, *Romanus Pontifex*. =(4) S. C. C. 20 Martii 1756. =(5) Lib. 3, tit. 9, cap. 1.

TITULUS XV.

De officio Archipresbyteri.

Sub hoc titulo constituitur in Decretalibus (1) «ut singulæ plebes Archipresbyterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat, verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiat, et qua unusquisque industria divinum opus exerceat Episcopo suo renuntiet». Divi Hieronymi tempore, prout ipse testatur (2), singuli Archipresbyteri constituebantur ad toti collegio Presbyterorum præsidendum: verum aucto fidelium numero, plures in una diœcesi fuere instituti, rurales dicti, ut extra Civitatem clericis superintenderent.

4. Archipresbyterorum, qui *decani* olim frequenter appellabantur, designatio ad solum pertinet Episcopum. De jure Decretalium (3), eorundem electio non Prælati tantum, sed Archidiaconi etiam esset, nam «cum ab omnibus quod omnes tangit approbari debeat, et commune eorum Decanus officium exerceat, communiter est eligendus vel etiam amovendus»; quoniam vero Archidiaconorum potestas, quam olim habebant, suppressa fuit, liberum est Episcopo quos maluerit ad hoc officium eligere, in Domino expendendo eligendorum qualitates, quæ eos aptiores faciant ad tantum munus cum cleri et populi spirituali utilitate implendum.

2. In Episcopi pariter potestate est *districtum* Archipresbyterorum vel extendere vel limitare. In regia schedula,

(1) Lib. 1, tit. 24, cap. 4. —(2) Epist. ad Rusticum. —(3) De officio Archidiaconi, cap. Ad hæc nos.

Nuntio Apostolico anuente, pro executione pacti inter duas potestates conventi lata, (1), statuitur ut Archipresbyteri sint insimul Vicarii foranei, totque saltem quot iudices seculares pro prima instantia in diœcesi, cum eadem ac hi, si possibile foret, residentia. Hoc præ oculis habeatur, quoties de Archipresbyterorum regionibus circumscribendis sit agendum; sed animadvertatur oportet non infrequenter laica tribunalia ex alio in alium locum transferri, quodque non solum ad parœciam, sed ad personam, et præcipue, eligendi respici præstat, et præterea paucas parochias cuique Archipresbytero invigilandas committere expedit.

3. Dum ad novam parochiarum ordinationem sit deveniendum, statuitur in Pactione anno 1851 inter Romanum Pontificem et Hispanum Gubernium facta (2) ut, præter habitam rationem ad extensionem et naturam territorii et populi, audiantur non solum Capitula cathedralia, et Tribunalium ecclesiasticorum Fiscales, sed etiam *propriii regionum Archipresbyteri*. Commendavit etiam suprema civilis auctoritas (3) ut, sicut Episcopi in diœcesi perlustranda, ita et Archipresbyteri in suo tractu invisendo, scholas primariæ instructionis inspicerent, et de abusibus, quos in iisdem adverterent, certius Gubernium facerent.

4. Archipresbyteri præcedentia gaudent supra ceteros clericos, præter Vicarium generalem et Canonicos: [primum locum habeant in Collationibus Moralibus ac in ceteris cleri ruralis congregationibus: eos ecclesiastici tamquam superiores revereantur et diligant: Episcopi autem illos honoris atque æstimationis signa exhibeant, quo alacriores officii archipresbyteralis onera et labores sustineant; et peculiaribus constitutionibus decernant facultates, quas, diœcesis spectatis adjunctis, iisdem tribuendas existimaverint, præsertim pro casibus

(1) 21 Novemb. 1851. —(2) Art. 24. —(3) Reg. sched. 24 Mart. 1852.

urgentibus, in quibus difficilis est ad Ordinarium recursus.

5. Secum reputent Archipresbyteri non tantum laicis, sed et laicorum directoribus esse præpositos, omnibusque vita et consilio præire debere: propriæ perfectioni assidue studeant, qui collegarum mores inquirere tenentur; quam fidelissime, omni timore vel affectu terreno posthabito, episcopalia mandata adimpleant: non sese respectu parochorum gerant ut dominantes in Clero, sed quasi fratres majores, forma gregis facti ex animo.

6. Quoniam tota saltem biennio diœcesis ab Episcopo, «per se vel Visitatores suos» (1), lustrari debet, et Archipresbyteris annuam ad minus suæ ditionis plurima, post Tridentinum, provincialia Concilia visitationem injungunt, præcipimus ut, transacto biennio post Episcopalem postremam Ecclesiarum cujusque *districtus* visitationem, eas Archipresbyter visitet, juxta modum in Synodis diœcesanis præfiniendum.

7. Annuatim Synodi diœcesanæ sunt cogendæ: si igitur earum celebratio impossibilis redderetur, singulis annis, Archipresbyteri, die præfigendo, Episcopum accedant, ut de statu Archipresbyteratum referant, ab eoque, post mutuam collationem, deliberationemque maturam, opportuna consilia vel præcepta audiant. Quando autem nec istud aliqua in diœcesi fieri queat, disponet Episcopus ut in fine anni Archipresbyteri omnes litteras ad eum mittant, quibus accurate minutatimque quidquid de clero, populo et Ecclesiis observatione dignum reperirent exponant, et quod pro illorum bono statuendum judicarent indicent, quo utiliora pro animarum salute decernere valeat Antistes.

8. Postremo, in muneribus Archipresbyterorum ab Episcopis pro sua quisque diœcesi juxta speciales circumstantias præfigendis, illud sapientissimum, quod in Decretalibus (2)

(1) Conc. Trid. sess. 24, c. 3 de reform. —(2) Cap. *Ut singulæ plebes*, 4 de off. Archip.

legitur attendi præstat: «Nec contendat Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat; quia etsi valde idoneus sit, decet tamen ut sua onera partiat, et sicut ipse matriçi Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsent plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo: cuncta ii tamen referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant».



TITULUS XVI.

De Parochis.

Aptius declarari nequiret quanti intersit ut parochialia munera fideliter impleantur, quam his Pii IX verbis Episcopos alloquendo (1): «Neque verò ignoratis majori diligentia vobis in illorum præcipue mores et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi, tamquam fideles multiformis gratiæ Dei dispensatores, plebem sibi concreditam Sacramentorum administratione, divini verbi prædicatione ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum, Parochis officii sui ignaris vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehi».

4. Munia autem pastoralia evidentiâ fulget ab iis præstari non posse «qui gregi suo non invigilant nec assistunt, sed mercenariorum more deserunt» (2). Discedere igitur animarum curatoribus prohibitum fuit a Concilio Tridentino, nisi causa prius cognita et approbata ab Episcopo, et relinquendo Vicarium idoneum cum debita mercedis assignatione: «licentiam autem ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant»: non solum quidem intra limites suæ parœciæ, sed in ipsa parochiali domu, quæ adlaborandum est ut in omnibus extruatur, habitent parochi, nisi ab Episcopo circa hoc ob singularia adjuncta aliqui dispensentur: de hujusmodi autem

(1) Encycl. *Qui pluribus*. = (2) Conc. Trid. sess. 23, c. 1 de reformat.

ædibus opportune provideatur in Synodis diœcesanis, sicut et de brevi tempore quo parochi cum Archipresbyterorum licentia abesse possint.

2. Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere (1), nam Pastor bonus cognoscit oves suas (2): proinde opportune fideles suos, non solum dum eos domi infirmitate detineri noverint, sed aliàs per annum visitent, non ut otio indulgeant, sed ad omni sollertia de parochianorum moribus inquirendum, atque ad eos solandos in ærumnis, roborandos in periculis, confirmandos in virtute, excitandos ad majora pro Christo aggrediendum, et, dum opus fuerit, et fructus speretur, commiter ac prudenter corrigendos: quotannis præterea censum animarum per familias describant, annotando quinam, si aliquos esse contigerit, præcepto communionis paschalis non satisfecerint, et cetera de unoquoque observationis digna, maxime in oppidis frequentioribus; et ubi alicui scandalò convellendo pares non inveniantur, Episcopum moneant, qui malo pro posse occurrere sataget.

3. Ii, præterea, quibus animarum cura est demandata, tenentur ex Tridentino «pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere». Quamvis itaque et ipsi nostri Parochi fere omnes magna laborent paupertate, panem suum, quantum potuerint, cum egenis partiantur: eos saltem speciali affectu diligant, huncque verbis consolatoriis atque vere æstimationis signis pandant: prædicatione et suasionibus iteratis cordis divitum duritiem emolliant ad fratribus indigentibus opitulandum: absit ut, dum locupletum amicitiam expetunt, pauperes, amicos nempe Christi, quosque beatos prædicavit, quomodolibet despiciant; ægrotos frequenter, etiam non vocati, invisant, tenerrimæ caritatis viscera erga eos induendo; gratis parochialia ministeria et libenter inopibus

(1) Conc. Trident. sess. 23, cap. 1 de reform. —(2) Joann. 10. 14.

dispensent: tenacitatis notam effugiant in stipendiis, quæ pro suo labore et honestæ sustentationis ratione eis debentur, exigendis, ne a populo judicetur non oves illos diligere, sed earumdem lac et lanam.

4. Parochorum zelus sit charitate temperatus: in vitiis objurgandis et erroribus redarguendis non indolis ad iracundiam proclivis effectus appareat, sed peccati abominatio et Dei ac proximi amor reluceant: consuetudines laudabiles foveant, in iis vere, quæ minus ad devotionem augendam respiciunt, e medio tollendis non sine consilio et consideratione agant, illud divi Augustini ob oculos versando, quod «ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat»: innovationes, etiamsi ad pietatem fovendam conducere sint persuasi, non sine magna cautela et discretione, probe rei, loci et temporum conditione perspecta, inducere præsumant: nec quidquam dicant vel agant, quod pro reprehensione decessorum accipi queat.

5. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, strictissimam obedientiam Episcopo Parochi præstent; ejus consilia et regulas, etiam quoad rem politicam, ceu tutam agendi normam habeant: tamquam discipuli Christi, arctissimo inter se charitatis vinculo adstringantur, et præsertim cum vicinioribus summam pacem, concordiam et amicitiam servent: quoniam, verba sunt Leonis Divina Providentia Papæ XIII (1), «profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana quam cœlestia curare videantur, non est secundum officium», a negotiis temporalibus abstineant, quantum possint; factionibus politicis nec operam nec nomen dent, quin potius toti sint in popularibus dissidiis componendis: omnia, quantum per conscientiam liceat, devitent quæ ægre ferri possint ab auctoritatibus civilibus, quas, utpote a Deo profluentes, honorare debent, ut et ipsi honorentur.

(1) Encycl. *Cum multa*, 8 Decemb. 1882.

6. Baptizatorum, confirmatorum, nuptorum mortuorumque nomina incunctanter Parochi accuratissime in libris diversis, quos fideliter custodiant, scribant, juxta verborum formulam in singulis diœcesibus præscriptam, ut Tridentinum (1) præceptum adimpleatur: ad hos libros servandos suum archivium habeant, tabularium nempe seu armariolum sera et clavi munitum, in quo reponant etiam folia diœcesana periodica, visitationis episcopalis acta et decreta, documenta ad Ecclesiæ bona, jura aut onera pertinentia, et inventarium supelectilium et ornamentorum sacròrum.

7. Quoniam adeo gravia sunt munia a Parochis obeunda, de quibus pluries egimus et sumus acturi, de moribus atque scientia et idoneitate nominandorum sedulo inquiretur: quum parochiæ vacantes publico indicto còncursu juxta Tridentini (2) et Benedicti XIV (3) præscriptiones conferri debeant, præcipimus, ad sacra studia fovenda, ut in quolibet concursu parochiali, etsi ad approbationem pro sufficientibus habeantur responsiones circa Theologiam Moralem Sacramque Liturgiã cum textus latini versione et concione scripta in lingua hispana, quæstiones interrogationesque proponantur etiam super monibus, quibus in Seminariis studetur, ecclesiasticis disciplinis.

8. Patroni suaviter inducendi sunt serioque moneudi, si fructum sperari liceat, ut ad Beneficia curata digniores proponant clericos aptioresque ad parochialem curam in populis, ad quos præsententur, felici cum successu exercendam: inter eos tantum nominare possunt patroni laici, qui in publico propriæ diœcesis concursu fuisse adprobatos doceant, præfixo ad hoc non valentibus quatuor mensium spatio, ut approbationem prædicto modo assecutos esse demonstrant, «salvo semper Ordinarii jure præsentatum a patrono examinandi, si

(1) Sess. 24, c. 2 de ref. matrim. —(2) Sess 24, c. 18 de refor. —(3) Const. *Cum illud*, 14 Decemb. 1742.

quidem ita conveniens censurit» (1). Provisores et Fiscales commendat Synodus omnem, quam poterunt, diligentiam adhibere in fundationem et perseverantiam patronatus examinando, ne forte aliquam Ecclesiam injuste id genus servitutis pati permittant: attamen, «legitima patronatum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare æquum non est» (2): patronis, etiamsi optimus Ecclesias a subjectione liberandi finis intendatur, negari non debet justitia; nec gratitudo oblivisci potest bona, quæ Ecclesiarum fundatores iisdem fecerunt; nec expedit ut a similibus beneficiis faciendis fideles retrahantur.

9. Quod de Parochorum zelo dicitur, id sibi dictum reputent, qui illorum locum tenent et vices agunt, quos designare ad Episcopum pertinet. Si Parochum scandalose, quod Deus avertat, vivere contigerit, et postquam monitus et castigatus fuerit, in pravitate incorregibilis perseveret, eum a beneficio juxta sacros Canones privet Episcopus: quod si Parochus, quum honestæ vitæ sit, illiteratus et imperitus appareat, eidem Prælati Vicarium seu Coadjutorem deputare potest pro tempore, partem fructuum huic assignando (3). Vacante parochia, presbyter in illa constituendus est, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur (4).

(1) Concord. anno 1851, art. 26. —(2) Conc. Trid. sess. 25, cap. 9 de reformat. —(3) Idem, sess. 21, c. 6 de refor. —(4) Idem, sess. 24, c. 18 de refor.



TITULUS XVII.

De Parochorum cooperitoribus.

Præter Parochos eosque quibus, illorum defectu, cura pastoralis injungitur, alii presbyteri necesse est ut aliquibus in parœciis in sollicitudinem pastorem vocentur ad sub eorundem ductu in vinea Domini adlaborandum. In omnibus Ecclesiis, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector sufficere non possit Sacramentis administrandis et cultui peragendo, præcipit Tridentina Synodus (1) ut Episcopi Parochos cogant tot sibi sacerdotes adjungere, quot ad idem munus sint necessarii. Coadjutorum nominatio ad Episcopum, prævio synodali examine, spectat (2), sicut approbatio Vicariorum, quos, etsi non necessarios propter fidelium numerum, Parochi, ob propriam vel infirmitatem, vel senectutem, mercede eisdem congruente assignata, eligere velint.

1. Ad Antistitem pertinet jura et obligationes Coadjutorum Vicariorumque determinare: exactissime hi ejusdem instructiones adimpleant, necnon Parochorum, quibus subsunt: quod si a Rectoribus indebite gravari, male tractari, justa stipendia tolli, et in juribus quomodocumque lædi existiment, non ideo ab eorum obedientia se substrahant, nec in querimonias coram populo erumpant, neve fidelium murmurationi offensionique pabulum præbeant; sed, dum aliud remedium non suppetat, cum christiana libertate Prælatum accedant, nihil hæsitando ab his plenam, absque ulla personarum acceptione, justitiam faciendam.

2. Residentiæ lege obstringuntur Vicarii: imo nec per

(1) Sess. 21, c. 4 de refor. =(2) Concord. an 1851, art. 26.

unius diei spatium illos absque Parochorum licentia abesse volumus: peroptat Synodus ut, dum fieri possit, Vicarii cum Parochis sub eodem tecto degant, et communi mensa utantur: summa concordia in omnibus, ad populi ædificationem, se gerant. Illud Ecclesiastici oblivioni non tradant Rectores parochiarum (1): «¿Rectorem te posuerunt? Noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis»: Vicarios in sacris Ritibus peragendis et parochialibus functionibus obeundis peramanter ut filios erudiant; ad pietatem perfectionemque sollicite informet; de periculis quæ eis, præsertim in quarumdam domuum frequentatione, immineant, considerate moneant; eorum defectus benigne corrigant, minime autem ad irrisionem narrent, vel sinistro animo in vulgus effundere faciant: inexperientiæ, et juvenilis fortassis inconsiderantiæ rationem habeant, ad plura remittenda: si Vicariorum labores Deus locupletat benedictionibus, majorique æstimatione populus prosequitur, non in ipsos, ut Cain in Abel (2), Parochi irascantur, nec juxta invidiæ aculeos agant, ut Saul dum mulieres canentes audivit: (3) «Percussit Saul mille, et David decem millia».

3. Vicarii ceterique Parochorum cooperatores non ægre ferant, si Rectorem insigniori modo a fidelibus honorari vident, cum Baptista dicentes: (4) «Oportet illum crescere, me autem minui»: haudquaquam cum Parochi inimicis consuetudinem nimiam habeant: numquam minus reverenter de illo palam loquantur: populi benevolentiam non ad hoc captare intendant ut, fideles sibi adjungendo, a Parochi obedientia et amore subducant: in eorum ad invicem dilectione cognoscatur, quod sunt discipuli Christi (5). Caveant ne ullatenus illud Nacianzeni (6) possint dicere: «Latrones, quos scelus inter se devixit, pacem colunt..... nos autem nullo concordiaæ fœdere, ac vinculo constringi, nec umquam in unum coire possumus».

(1) 32, 1. =(2) Gen. 4. 5. =(3) 1 Reg. 18, 7. =(4) Joann. 3, 30. =(5) Joann. 13, 35. =(6) Orat. 3 de pace.

4. Præter Vicarios, qui Parochis adjunguntur, alii presbyteri, cappellani nempe, aliquibus in locis, ab Episcopis eliguntur vel approbantur, qui peculiarem curam habeant personarum in quibusdam domibus vitam agentium, ut in monasteriis, hospitalibus et carceribus: hi nihil in præjudicium parochialium jurium agere præsumant; nullam Parochis in eorumdem functionum et muneris exercitio exemptionis cujusvis prætextu conflictionem creent; ne latum quidem unguem a limitibus auctoritate episcopali præscriptis devient, ultra facultates assignatas in aliorum jurisdictionum detrimentum agendo. Exacte adimpleatur quod in pactione inter hispanicum Gubernium et Pontificiam Sedem anno 1867 seu Regni lege promulgata præscribitur (1), videlicet, ut omnes quamlibet cappellaniam obtinentes alicui parochiæ adscribantur, et præter cappellaniæ specialem obligationem, hanc habeant Parocho opem ferendi.

5. Cum omnis Pontifex pro hominibus constituatur (2), et «nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis» (3), ne in vacuum gratiam Dei recepisse dicantur (4), omnes Presbyteros impensissime cohortamur, ut in vineam Domini eant a Patre-familias conducti, et non stent tota die otiosi (5), cum fidelium scandalo, qui eos videant parum de animarum salute curari, et cum harum damno, nam messis quidem multa, operarii autem pauci (6). Nec obliviscatur quod in Bulla *Apostolici Ministerii*, pro ecclesiasticæ disciplinæ in Hispania instauratione die 13 Maji anni 1723 lata, præcipit Innocentius XIII (7), «ut clerici, tam in minoribus quam in majoribus ordinibus constituti, atque etiam presbyteri, tametsi beneficia vel officia ecclesiastica non habentes, superpelliceo induti, in ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missæ conventuali cum cantu cele-

(1) Art. 19. —(2) Hebr., 5, 1. —(3) Conc. Trid. sess. 23, c. 16 de ref. —(4) 2 Cor., 6, 1. (5)—Math. 20, 6. —(6) Math 9, 37. —(7) n.º 7.

bratæ, necnon primis et secundis vesperis officii diebus dominicis aliisque festis assistant».

6. Parochos monet Concilium, ut sincero animo, quidquid circa cooperationem iisdem a clericis intra fines parœciæ colentibus præstitam observatione dignum invenerint, ad Episcopum perferant, qui hujus rei rationem habebit, dum supradicti ad sacrum ordinem ascendere velint, vel ministeriales licentias obtinere, aut aliquod beneficium adipisci.



TITULUS XVIII.

De estatutu monachorum.

Monachorum status in Cristi Evangelio fundamentum habet, qui adolescenti mandata servanti dixit (1) «Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus»; et discipulos alloquebatur (2) «Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me»; necnon voluntarios eunuchos esse propter regnum cœlorum docebat (3). Sanctissima hæc disciplina a tempore prædicationis apostolicæ sumpsit exordium, quum «multitudinis credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia» (4).

1. Quibus laudibus monachorum statum efferat, hujus dignitati, excellentiæ, sanctitati et utilitati paribus, nescit Synodus, nec verba sufficientia invenire valet ad multigena exprimenda bona, quibus religiosos ordines societatem antea actis temporibus undequaque cumulasse historica monumenta apertissime testantur, quorumque et in præsens gratissimum et eloquentissimum specimen quotidie oculis omnium exhibetur, adeo ut inimici ipsi victas manus dare cogantur, et a calumniis et injuriis ab spiritu infernali inventis, si non supersedere, non paucum ad minus temperare, ne luci meridianæ oculos claudere dicantur.

2. Lætatur ergo atque in Domino maximopere gaudeamus, cui et imo ex pectore immortales grates referimus, quod tristissima hac tempestate, ad omnis generis calamitates, quæ

(1) Math. 19, 21. =(2) Ibid. 16, 24. =(3) Ibid. 19, 12. =(4) Act. Apost. 4, 23.

miseram affligunt humanitatem, sublevandas, religiosorum familias, quibus fundatorum spiritus charitatis, et pristina strictissima observantia reviviscere videntur, augeri, crescere et propagari, atque plura, ex quibus per summum nefas expulsæ fuerunt, monasteria recuperare concesserit. Sciant monachi omnes, cujusque ordinis vel congregationis ab Ecclesia approbatæ, nos in visceribus dilectionis eos complecti, nihilque nobis potius et cordi esse, quam ut specialem curam de illis geramus, et, quantum per nostras facultates liceat, iisdem fa-veamus libentissime.

3. Divites monemus quando uni ex istis succurrunt, Christo ipsi Domino succurrere, qui nec potum aquæ frigidæ Ejus nomine datum absque mercede copiosa relinquet; eosque enixe obsecramus ut religiosos, qui omnia ad Christum sequendum deseruere, et licitis carnis oblectamentis valedicunt, ac propriam voluntatem abnegant, ut toti sint in fidelibus sanctificandis et Dei regno in terris dilatando, pecunia sua iisdem oblata mutuam operam conferant ad proximi utilitatem et divinam gloriam quærendum et zelandum.

Præcipimus autem ne religiosæ personæ, ad alteram provinciam ecclesiasticam pertinentes, petere eleemosynas in Nostra a Parochis permittantur, ni facultatem ab Episcopo loci habeant, in scriptis expressam.

4. Inducentes alios ad religionem non solum non peccant, ait Angelicus (1), sed magnum præmium merentur. Singulari studio, juxta Asceticæ regulas, directores spirituales animas, quas Deus ad consiliorum evangelicorum professionem vocat, in virtute exercitandas atque excolendas curent: quos viderint signa religiosæ vocationis exhibere, ad divinis impulsibus respondendum excitent, in proposito confirment, obstantias, si quæ sint, ne illi voti compotes fiant, remove-re satagant.

(1) 2. 2. q. 189. art. 9.

5. Parochi in fratribus religiosorum cœtum adjuutores in opere sanctificationis animarum, quos igitur magni fieri oportet, videant. Nam, dicente Pio IX (1), «Regularis etiam clerus adjutricem in procuranda animarum salute operam navat»; eo quod, scribebat sanctus Bonaventura, ordinis divi Francisci Minister generalis: «Sedes Apostolica vocavit nos in adjutorium tam cleri quam populi, ut per officium prædicationis et confessionis subveniamus animabus, et onus pastorum sublevando alleviemus».

6. Synodus firmiter sperat monachos et regulares hujus Provinciæ vota essentialia status religiosi necnon peculiare cujusque ordinis regulas et constitutiones exactissime semper, ut nunc, servaturos, atque, ut verbis Pii Papæ IX loquamur (2), «eo arctissimo concordie et charitatis fœdere, summaque animorum consensione Episcopis et sæculari clero conjungi, quo nihil antiquius se ostendant habere, quam in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi, consociatis studiis vires omnes intendere, atque æmulari semper charismata meliora».

(1) Encycl. *Nostis*, 8 Decemb. 1849. —(2) Encycl. *Ubi primum*, 17 Junii 1847.



TITULUS XIX.

De monialibus.

Quum ignorari nequeat quantum, prout loquitur Tridentina Synodus (1), «ex monasteriis pie institutis et recte administratis, in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur», de sacris virginibus singularis cura est habenda, ut digne ambulando in conspectu Dei, per bona opera certam electionem suam faciant, et sint bonus odor Christi, quem sponsum elegerunt, et populi christiani spiritualis ædificatio, necnon divinæ placatio justitiæ jugi pro peccatoribus intercessione.

4. Anathemati subjiciuntur (2) qui quomodolibet mulierem cogant ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum religiosum, vel ad emittendam professionem: nam, scribebat Nicolaus Papa (3), «quod quis non eligit vel optat, profecto non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit: nullum quippe bonum nisi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit». Ut libertati vota nuncupantium plene consuleretur, statuit Tridentina Synodus (4), et a nobis in executionem ad amussim mandari est satagendum, ut in quacumque religione professio non fiat ante decimum sextum expletum ætatis annum, nec antequam integer annus post susceptum habitum in probatione transigatur.

2. «Propositum monachi, ajebat Leo Papa (5), proprio arbitrio et voluntate susceptum, deserere non potest absque

(1) Sess. 25, c. 1. de Regul. et Monial. = (2) Ibid. c. 18. = (3) Caus. 20, quæst. 3, c. 4. = (4) Sess. 25, c. 15 de Regul. et Monial. = (5) Decr. Grat., p. 2, caus. 20, q. 3, can. 1.

peccato»; cujus rei hæc exstat ratio luculentissima (1): «Nam si humana pacta non possunt impune calcari, quid eos manebit, qui corruperint fœdera divini sacramenti?» Idecirco, quia, præterea, dicente Marcello Papa, «satis inutile est, ut coacta servitia Domino præstentur», haudquaquam prætermittatur, quod et antiqui canones sanxerunt (2), ut, nempe, quæ sacra velamina susceperint, a Prælatiis monitæ, inquiratur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non. «Si autem ad secularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur». Nulla puella, nisi post duodecim ætatis annos, habitum regularem induat: ante hujus susceptionem, exploret Episcopus, vel alius ab eo deputatus, *an sciat quid faciat*, juxta formam a S. Pio V præscriptam (3); et hoc ipsum repetatur priusquam fiat professio, cujus tempus ante mensem Præfecta Episcopo notum faciat» (4).

3. Majori cura, prudentia et animi dexteritate conscientiarum moderatores in mulieribus, quam in hominibus, ad statum religiosum ducendis utantur: facilius enim contingere potest, ut tamquam vera vocationis signa judicentur quæ talia non sint, et gravius periculum est, ne illæ præ verecundia et humano timore, postquam monasteria ingrediantur, ad vota profitenda transeant, etiamsi a Deo non esse vocatas plane experiantur; quia vero post habitum in novitiatu susceptum difficilior est ad paternos lares redire, constituimus, ut in omnibus monasteriis, ubi id regula non prohibeat, saltem primo mense postulantes, a monialibus et novitiis separatæ, secularibus vestibus non exuantur. Necessarium autem non est, quin potius illud reprobamus, ut ante professionem puellæ e monasterio egrediantur, et tota die per civitatem vageantur, ut de earum in votis emittendis libertate publice constet.

(1) Deer. Grat. p. 2. caus. 20, q. 1, can. 8. =(2) Ibid. can. 10. =(3) Const. *Etsi mendicantium*, 16 Maji 1567. =(4) C. Trid. s. 25, c. 17 de Regul. et Monial.

4. Magna olim solemnitate virgines Deo vovebantur, quibus sacrum velamen nonnisi Epiphaniarum die, aut in albis paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis, communiter imponebatur (1). Professio religiosa juxta ecclesiasticos ritus celebretur, et quoniam de nuptiis animæ cum divino sponso agitur, prout in ipsis spiritualem lætitiā decet: sed omnia profana procul recedant; concio sacra, quæ hac occasione haberi solet, nihil nisi grave, pium et ad devotionem excitans contineat; atque, ut majori cum fervore ac profectu religio voveatur, prius novitia per aliquot dies sacris vacet exercitiis.

5. Non modo, extra casus ac formam a S. Pio V præscriptam (2), prohibetur, sub excommunicationis pœna (3), quominus moniales e monasterio egrediantur, sed eandem incurrunt tum ingredientiæ monasteria absque legitima licentia, tum moniales eos, cujuscumque sexus fuerint, admittentes. Episcopis autem, *sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis æternæ*, præcipit Tridentina Synodus ut in omnibus monasteriis clausuram observari maxime procurent (4). Præterea, satagendum est ne laici, sine Ordinarii licentia, monialium monasteria frequentent, quod severissime a Concilio III Lateranensi (5) jam fuit vetitum, neque regulares ad crates cum monialibus loquantur (6); jam enim Concilium Hispalense secundum interdixerat (7) ne illi aliquam familiaritatem cum sacris virginibus haberent, et ne «usque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum».

6. Incumbant Prælati ut sanctitas in monialium domibus conservetur atque in dies crescat: constitutiones peculiare cujusque monasterii ante approbationem accuratissime examinent; viros pietate præstantiores vocent, qui moniali-

(1) Decr. Grat. p. 2. caus. 20, q. 1, can. 11 et 15. —(2) Const. *Decori*, 1569. —(3) Const. *Apostolicæ Sedis*, Pii IX. —(4) Ses. 25 c. 5, de Reg. —(5) Can. 2. —(6) S. C. Conc. 11 Majii 1669. —(7) Can. 1.

bus per decem singulis annis dies in sacro recessu dirigant: vitam communem, si alicubi non vigere perspexerint, instaurandam adlaborent: plures sacerdotes in uno monasterio confessiones excipere non facile permittant; præter confessarium ordinarium, in cujus electione singulari cura est procedendum, alios per annum offerant, coram quibus omnes moniales se sistant, prout sapientissime Romani Pontifices, novissime autem qui Ecclesiæ gubernacula tenet, præceperunt: demum immediate per se ipsos, quantum possint, de omnibus ad spirituale et temporale sanctimonialium regimen attinentibus paternam curam gerant.

7. Providendum est etiam ne occasione *educandatus*, cum manifesta etiam reipublicæ temporali utilitate, in aliquibus monasteriis constituti, monachalem spiritum et asceticum fervorem dissipari contingat. Postremis hisce temporibus, speciali plane divinæ Providentiæ consilio ad subveniendum hodiernis gravioribus necessitatibus, factum fuit, (1) «cum magno tum Ecclesiæ Catholicæ, tum civilis societatis emolumento», ut plurimæ piæ sororum familiæ enascerentur, quæ nec vota solemnia, et nonnullæ ne simplicia quidem perpetua, emittunt, nec strictam legem clausuræ servant: de his, quæ cum hominibus conversari ac inter mundi illecebras et laqueos manere debent, maxime solliciti sint Episcopi, nihil tamen agendo quod earum jura et privilegia ab Apostolica Sede concessa conculcet. Prout Sacra Episcoporum et Regularium declaravit Congregatio (2), «Superiorissæ generales, quoties aliquam sororem ex una in aliam domum alterius diœcesis transferre, vel Superiorissam subalternam instituere, sive ab officio absolvere velint, sufficit ut, ratione dumtaxat convenientiæ, Episcopum loci de dictis dispositionibus certiores reddant».

8. Ubi facile id fieri possit, alius sit capellanus, alius

(1) S. C. Ep. et Reg. 27 Augusti 1887. —(2) 5 Septemb. 1895.

verò monialium confessor. Nimiam cum sacris virginibus tam hic quam ille consuetudinem effugiant: earum sint adjuutores, non autem domini propriam voluntatem imponere cupientes: clausuram non ingrediantur vel ut Missam celebrent, vel ut medicum et operarios comitentur, vel quolibet alio prætextu: omnia in pietate et modestia peragant, ne aliquod offendiculum Agni sponsis præbeant: lectioni librorum asceticorum mysticorumque jugiter sint intenti: otium capellani devitent, fidelium confessiones excipiendo, præcipue tempore quadragesimæ et in solemnioribus festis.



TITULUS XX.

De magistris.

Ad austriacæ nationis Episcopos rescribens monebat sanctæ memoriæ Pius IX (1): «Collatis inter vos consiliis, omni studio prospicite ut in vestris Seminariis accurata sit ecclesiasticæ æducationis ratio, et ea optimorum studiorum vigeat methodus quæ, rerum, temporum ac locorum perpensis adjunctis, et majorem Ecclesiæ utilitatem parere possit, ac simul efficiat ut clerus salutari solidaque scientia ac doctrina præfulgeat»; quod pluries sapientissimus etiam feliciter regnans Pontifex impense Episcopis commendavit. Ut igitur Sedis Apostolicæ justissimis obtemperemus mandatis, sint sequentia:

1. Uniformitatem quum maxime oporteat in omnibus quæ ad regimen litterarium Seminariorum spectant servari, eo quod, justa et approbata causa interveniente, ex alio in aliud alumnos transferri continget, constituimus, ut, si antea de hac forte re non ab Apostolica Sede providetur, in proximo Concilio provinciali ratio studiorum pro hujus Provinciæ Seminariis conficiatur, omnia singulatim describendo quæ ad sacerdotii candidatos erudiendos pertinent. Aliqua tamen interim servanda annotare opportunum existimat Synodus.

2. In æconomio, disciplinæ moderatore, et Seminarii Rectore, in hoc præsertim, eligendis, non minor adhibeatur diligentia quam ea quæ tantorum munerum momento respondet: unicus director spiritualis sit in unoquoque Seminario, ab omnibus ad externum regimen spectantibus alienus. Si prævio concursu institutores non nominantur, saltem nihil

(1) Epist. *Optime noscitis*, 5 Novemb. 1855.

omnino omittendum eorum, quæ conferre valeant ut cum felici successu nominatio fiat, quod vix potest dici quanti intersit ad totius diœcesis spiritualem utilitatem.

3. Nobis cordi est adamussim adimplere quæ, rationi quidem atque experientiæ maxime consona, Sacra Studiorum Congregatio in Instructione pro Facultatibus in Seminariis Centralibus hispanis canonicè erigendis monuit, videlicet (1): «Sedulo cavendum est, ne brevi temporis spatio obiter Professores immutentur, ac suo precarie quasi fungantur officio, in spem adducti pinguiora adipiscendi diœcesana officia et beneficia. Quam maxime igitur refert, ut Professorum decori et firmitati consulatur: ipsi enim, ceu pars cleri electior et spectabilior, censendi sunt, quippe qui alumnos in spem Ecclesiæ succrescentes excolere debeant assiduis curis, studiis et laboribus, quos honestius remunerari et decet et debitum est». Hac de causa in votis Patrum est ut, dum fieri possit, cuique Professore singulis post ejus electionem quinquenniis annua pensio accrescat ea pecuniæ summa, quæ ab Episcopo designabitur.

4. Professores Historiæ, tum sacræ, tum ecclesiasticæ, tum profanæ, sive generalis, sive hispanæ, atque Archeologiæ et Patrologiæ, non factis et nominibus audientium memoriam obruant, sed generalem cujusque epochæ characterem conspiciendum præbeant, actionem Providentiæ in mundo morali patefaciant, et calumniosas in Ecclesiam ejusque Pontifices ac præstantiores filios accusationes repellant. In Geographia atque scientiis mathematicis ac phisicis tradendis brevitatis cum perspicuitate jungatur, atque objectiones ex illis adversus divinam revelationem petitiæ disjiciantur. Linguae latinæ, cujus exquisitam notitiam haberi quam maxime decet, textus ad patriam vertendi non a gentilibus modo auctoribus depro-mantur, sed ex Sacra Scriptura et Sanctis Patribus decerpuntur.

(1) 30 Junii 1896, n.º 2.

oportet. Linguae item hebraicae cognitio in Seminariis acquiritur. Praecipue autem adlaboretur in apprime maternam linguam cognoscendo: materia igitur examinis ad puerorum in Seminario ingressum sit hispana grammatica; huic etiam studeatur simul cum latina; et Rethoricae generalis atque Eloquentiae sacrae Professores ad grammaticales defectus, qui praeter ceteris a populo notantur, in alumnorum scriptionibus et discursibus maxime attendant.

5. Philosophia et Theologia ad mentem divi Thomae tradantur, qui, ut sapientissime ait Leo XIII (1), sanctorum Patrum doctrinam, «velut dispersa cujusdam corporis membra, in unum collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus jure meritoque habeatur.... Nulla est philosophiae pars, quam non acute simul ac solide pertractarit». Sed non ideo praceptoribus sit vetitum ex inexhaustis omnigenae plane sapientiae thesauris, in operibus divi Bonaventurae, V. Scoti ceterorumque cujusque scholae insignium doctorum contentis, utilitatem referre. In his disciplinis sicut et in sacra Hermeneutica explicandis ratio habeatur temporum quibus versamur; errores obliiti brevissime ad summum profligentur: quaestiones opinabiles, aliae omnino omitantur, aliae obiter, ad eruditionem historicam tantum, tractentur, praeter paucas illas penitus evolvendas, quae veritati lucem afferre credatur: viribus autem omnibus contendatur in juvenibus plenissime instruendis et exercitandis ad praesentium veritatis catholicae hostium tela retundenda et aggressus repellendos. Pariter, ex Theologia Morali et Jure Canonico plura expungantur hodie minus utilia: disciplina ecclesiastica nunc temporis vicens optime cognoscatur defendaturque strenue; et in quibus leges civiles hispanicae cum canonicis congruunt, vel ab his discedunt, tradatur.

(1) Encycle. *Aeterni Patris*, 4 Augusti 1879.

6. Quoniam compertum habemus cantum ecclesiasticum, cujus utilitas manifestior est, quam ut de illa sermo sit instituendus, ab aliquibus alumnis fere negligi, ordinamus, ut qui in cantu plano examinatus approbationem non fuerit adeptus, ad examen aliarum disciplinarum non admittatur. Sacrae caerimoniae non theorice tantum, sed practice etiam addisci debent; et constituimus, ut omnes qui ad quempiam ordinem sacrum ascendere velint, de ordinis antea accepti exercitio testimonium exhibeant, et circa suscipiendi caerimonias examen subeant. Theologia Pastoralis ea qua par est, in omnibus nostris Seminariis, a viro experientia et maturitate conspicuo, tradatur extensione, alumnos instituendo atque exercitando in iis quae ad parochiale regimen et externam rationem spectant.

7. Singulis hebdomadis concertationes philosophicae ac theologicae, quibus omnes cujusque facultatis alumni intersint, lingua latina et scholastica forma adhibita, habeantur: actus insuper academicos solemniores per annum celebrari oportet, in quibus idiomate etiam patrio utatur: ad prandium atque ad coenam Sacra Scriptura et libri spirituales, a classicis nostris scriptoribus editi, ab ipsis alumnis legantur, qui tamen pluribus diebus pro lectione brevem concionem ab illis paratam recitent, vel improviso dicant: examini facultatis Theologiae Seminarii Praefectus, vel ipse Episcopus, nisi pastoralibus occupationibus impediatur, praesideat. Ut sancta aemulatio inter acrioris ingenii scholasticos excitetur, et tempore aestivo ad studendum alliciantur, mense septembris oppositiones meritissimi alumni possint facere ad praemia, quae solemniter distribuuntur et saltem in libris pro curriculo sequenti consistent: altero ut minimum quoque anno gradus Baccalaureatus in Sacra Theologia, praevio, inter omnes qui quarti hujus facultatis anni approbationem obtinuerint, concursu, gratis concedatur. Qui in tentamine ad cursus academici approbationem supremam

notam obtinuerint, in folio ecclesiastico diœcesano eorum nomina annuntientur: atque in parochialium beneficiorum provisione ad oppositorum merita etiam scholastica respiciatur.

8. In Seminario Burgensi, penes quod speciali favore (1) Sanctissimi Domini Leonis Papæ XIII, canonicè erectæ sunt Sacræ Theologiæ, Juris Canonici et Philosophiæ Facultates, cum privilegio gradus omnes academicos conferendi, amussim Statuta a Sacra Studiorum Congregatione approbata servabuntur: in suffraganeis vero, quantum per adjuncta liceat, studiorum ratio ad normam Constitutionum Metropolitanæ exigetur: in omnibus autem eisdem textus explanari expediret, ideoque utile reputamus certamina subsequentium etiam Conciliorum occasione institui, ut ii, qui præmium obtinuerint, libri ceu textus in omnibus Provinciæ Seminariis adhibeantur, quo et ecclesiastica studia apud nostrates aliquantum forsitan promovebuntur. Siquidem ad gradus accipiendos, præter in casibus rarissimis et extraordinariis ex Apostolicæ Sedis dispensatione, scholas alicujus Pontificii Instituti per duos annos frequentare tenentur suffraganearum Diœcesium alumni, his commendetur ut ad Burgense sese conferant. Oblivioni denique ne tradatur mentem Sacræ Studiorum Congregationis esse (2) «ut nova Pontificia Instituta non opus tantum censenda sint Archidiœcesium, in quibus erecta sunt, sed potius totius Provinciæ Ecclesiasticæ et Diœcesium suffraganearum commune negotium et opus, in commodum nempe clericorum, quibus penes singulas diversas et inter se dissitas regiones centrum præsto est ad altiora studia excolenda», ardensque esse Romani Pontificis votum «ut, collatis inter se consiliis, Antistites curas omnes impendere satagent ad promovendum, opportunis provisionibus, Institutorum decus et incrementum».

(1) S. C. Studiorum 14 aug. 1897. = (2) Epist. circul. 15 Septemb. 1897.

TITULUS XXI.

De Seminarii alumnis.

Episcopus omnes alloquens, aiebat immortalis memoriæ Pius Papa IX (1): «Quum vestram sapientiam, Venerabiles Fratres, minime fugiat idoneos Ecclesiæ ministros nonnisi ex optime institutis clericis fieri posse, magnamque vim in recta horum institutione ad reliquum vitæ cursum inesse, pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras severioresque disciplinas, præsertim sacras, rite informentur». Quod ad nos autem, Patres hujus Concilii, spectat, nihil potius habemus nihilque intensiori studio curabimus, quam ut in nostris Seminariis sancte educantur alumni.

1. Parum quidem esset studia rite ordinari scientiamque florescere, si vita spiritualis negligeretur et scholastici non in virtute excolenda proficerent: Domini, insuper, timor est initium sapientiæ (1), quæ in malevolam animam non intrat nec in corpus subditum peccatis (2). Tota igitur vitæ in Seminario agendæ ratio sancta ac prudenti disciplina est moderanda, sic ut pietati ac scientiæ eo quo fieri possit fructu studeatur: in hujus autem disciplinæ, quæ strictissime servari debet, regulis comparandis, sicut perniciosa laxitas, nimius rigor vitetur; ad juvenilis ætatis conditionem respiciatur; de corporis exercitio et animi recreatione, adolescentibus tanto-
pere necessaria, curetur, et quæque optima hac de re a sa-

(1) Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. = (2) Psal. 110, 10.
= (3) Sap. 1, 4.

pietissimis, tum clericis tum laicis, pædagogis scripta sunt, haud neglegantur.

2. Magnopere expediret, ut eadem constitutiones in omnibus nostræ Provinciæ Seminariis vigerent, vel saltem ut, quantum fieri posset, ratio uniformis quoad plurima servaretur; circa hoc autem in futuro Concilio, si Deo placuerit, opportuna decernemus. Etiam si ad Seminarium moderandum tales personæ deputentur, de quarum zelo ac solertia nullum dubium supersit, maximi refert, atque a nobis non omittendum, ut Prælati ipsi hanc domum frequenter adeant et invisant, de disciplinæ atque scientiæ statu inquirendo. Seminaria ut a parochiali ordinaria jurisdictione sint exempta hæc Synodus decernit, illaque potestati Episcoporum immediate subijcit, qui per Rectores curam animarum in ipsis exercebunt.

3. Quamvis ditiorum filios Tridentina Synodus a Seminariis non excludit, modo sumptu suo alantur, et studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ serviendi, «pauperum autem filios præcipue eligi vult» (1). Quoniam vero, temporum conditione immutata, redditus non supersunt ad gratis omnino pauperes in Seminariis alendos atque instituendos, decernimus, ad aliquo modo Tridentinas dispositiones adimplendas, ut, prævio concursu, inter alumnos duodecim annos natos, ex matrimonio legitimo ortos et qui linguæ latinæ atque humanitatum cursus habeant adprobatos, unus saltem eligatur, qui, nisi hoc dono posthac indignus fiat, gratis omnino sustentetur et doceatur usque ad Presbyteratus susceptionem.

4. In amplis diœcesibus potest Episcopus unum vel plura, prout sibi videbitur, habere Seminaria; quæ tamen, addit Tridentina Synodus, «ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant». Plurimum prodesset, ut Seminaria *parva* a Seminariis *majoribus* diversa in

(1) Sess. 23, c. 18 de refor.

nostris diœcesibus crearentur: saltem providendum est, ut alumni in clases dividantur, prout Tridentini Patres loquuntur, «juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum». Ad vocationes ecclesiasticas fovendas, magnopere juvabit, ut in pluribus oppidis scholæ latinitatis instituantur juxta modum ab Episcopo definiendum. Si aliquem puerum, pauperem et benemortum, singulari ingenio præditum esse Parochi compererint, et suis vel parochianorum divitum expensis in Seminario alere non possent, Episcopum moneant, ne forte ob protectionis defectum accendi nequeant lucernæ, quæ super candelabrum in domo Domini aliter fulgescerent radiis splendidissimis.

5. Recipi in Seminario non debent «qui legere et scribere nesciant». Præterea qui illud ingredi velint, examen subeant statuimus circa omnia, quæ in scholis elementaribus traduntur. Ii tantum admittantur «quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inseruituros»; aliud enim sunt collegia catholica ad pie erudiendos pueros statum laicalem amplexuros, et aliud Seminaria clericorum ad hos *religiose* educandos atque in *ecclesiasticis disciplinis* instituendos. In Seminario recepti «tonsura statim atque habitu clericali semper utantur». Qui petra scandali aut lapis offensionis sint aliis, aut vocatione carere existimetur, omni humana affectione rejecta, expellantur: quum autem expulsionis pœna omnium in Seminario sit gravissima atque ultima, non ob quemcumque defectum illico, sed ubi spes emendationis non affulgeat, imponatur.

6. Ex Tridentina præscriptione debent Seminarii alumni quotidie Missæ sacrificio interesse, necnon singulis saltem mensibus peccata confiteri, et sacrum Domini corpus, approbante tamen proprio confessario, recipere: cathedrali diebus festis inservire; et, juxta Clementis VIII præceptum, in cujusque scholaris curriculi initio, sacra exercitia peragere.

Piæ consociationes, ut quæ a sancto Aloysio et a Sacro Corde Jesu nomen habent, in Seminariis instituantur foveantur, adeo tamen, ut non coacti eas tirones ingrediantur, nec opera peragant pietatis timore humano ducti, habitum hypocrisis induendo.

7. Nisi ob gravissimam causam e Seminario ad paternos lares regredi intra annum scholasticum alumnis non permittatur: Synodus optaret, ut ne tempore quidem æstivo domum abirent, et de hoc serio cogitandum est, ut saltem vacationis tempus minuatur pro diversis cujusque diœcesis adjunctis. Nullus denuo ad Seminarium admittatur, quin proprii Parochi litteras sigillo munitas offerat, in quibus recta sua vacationis tempore agendi ratio affirmetur: Parochis præcipimus, eorum conscientiam onerando, ut super vitæ ordine alumnorum singulariter advigilent, et quidquid minus rectum aut clericali vocationi absonum cognoverint, Antistiti patefaciant.

8. Optaret Synodus ut omnes alumni in Seminario viverent: quum hoc autem difficile atque aliquibus in diœcesibus impossibile sit, in ipsis Constitutionibus Seminarii de eorum qui extra hoc colant vitæ methodo opportuna provideantur: Rector, ubi singuli habitent, sciat, et specialem circa illos vigilantiam exerceat. In ipso jam Turonensi III Concilio, anno 813 coacto, fuit decretum (1) ut qui Presbyteratum recipere vellent, in *Episcopo* manerent, vel ad suum discendum officium, vel suos cognoscendos mores: constituimus et nos, ut nemo, nisi ab Episcopo specialiter dispensatus, Subdiaconatum accipiat, quin toto proximiori curriculo scholari ad experimentum in Seminario permansisset.

(1) Can. 12.

TITULUS XXII.

De Sacerdotum sanctitate.

Pro Christo legatione funguntur sacerdotes (1), cujus sunt milites (2), ut stent in prælio in die ejus (3), dispensatores mysteriorum Dei (4), et speculatores domus Israel (5). Nostros igitur per charitatem Christi obsecramus, ut certam faciant electionem (6), et cum metu et tremore salutem propriam operando (7), eam consequantur.

1. Ut in spiritu vivant et ambulent sacerdotes, vigilant et orent (8); singulis diebus per aliquod tempus piæ meditationi vacent, novissima sua memorando, ut in æternum non peccent: sanctissimum Sacramentum invisant; omnibus hebdomadis, si aliquid non obstat, confiteantur peccata sua: et quotidie, dum possint, omni reverentia ac devotione, sacrum litent.

2. Mariale rosarium, via-crucis et aliæ summo opere commendabiles devotiones, ea quam merentur existimatione, a sacerdotibus habeantur; sed, ait sanctus Alphonsus, centum privatæ orationes non tantum valent quantum sola recitatio officii divini, quod, nomine totius Ecclesiæ, verbis ipsius Dei, offertur: vere inæstimabilis thesaurus in officio canonico conditur, ex cujus recitatione, attente ac devote facta, flumina spiritualium ac cœlestium donorum possent hauriri. Omnes in sacris constitutos majorem in modum cohortamur, ne de iis possit dici quod Christus de judæis (9): «Populus hic la-

(1) 2 Cor. 5, 20. =(2) 2 Tim. 2, 3. =(3) Ezech. 13, 5. =(4) 1 Cor. 4, 1. =(5) Ezech. 3, 17. =(6) 2 Petr. 1, 10. =(7) Philip. 2, 12. =(8) Math. 26, 41. =(9) Math. 15, 8.

biis me honorat, cor autem eorum longe est a me»: Non tantum rite pronuntient verba, sed ad eorum sensum, ut recte intelligantur, applicent mentem; ex quo ingentem cumulum ecclesiasticæ eruditionis possunt comparare, ad pastoralia officia, præsertim autem ad prædicationem, prout decet, implendum, quia ex sacro eloquio, ex Patribus Ecclesiæ, atque ex sanctorum historia quidquid ad sacerdotes erudiendos ac sanctificandos magis facit, sapienter electum ac miro digestum ordine in Breviario reperitur.

3. Ad sacerdotalis ordinis sanctimoniam conservandam et augendam vel maxime conducit pium Spiritualium Exercitiorum institutum: ea propter Romani Pontifices pluries monuerunt Episcopos ut tam salutare opus urgeant, faciantque ut clerici sæpe in opportunum locum iisdem peragendis exercitiis recedant, quo, ut cum Pio IX loquamur (1), «exterioribus curis repositis, ac vehementiori studio æternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detegere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum actibus suis novum induant, qui creatus est in justitia et sanctitate». Præcipimus itaque, ut nostræ ditionis clerici ante quempiam ordinem suscipiendum spiritualiter per aliquos dies exercitentur, et sacerdotes quolibet saltem triennio hæc santa exercitia peragant: optatque Concilium, ut cujusquam beneficii possessionem accepturi in sacro secessu divinam gratiam exposcant ad nova munera implenda: oporteret denique ut Episcopi non seorsum, sed cum clero, hujusmodi pietatis opera facerent, utque in omnibus generalibus exercitiis postrema die cum eucharistico pane panem divini verbi clericis distribuerent.

4. Non satis est ut sacerdotes vigilant ac viriliter agant (2), semetipsos sollicite custodiendo (3): quoniam enim

(1) *Encycl. Qui pluribus.* 9 Novemb. 1846. —(2) 1 Cor. 16. 13. —(3) *Deuter.* 4, 9.

lux mundi sunt, et non accenditur lucerna, ut ponatur sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, fideles propriis operibus spiritualiter ædificent, adeo ut possint dicere: hæc est via, ne declinetis ad dexteram neque ad sinistram (1).

5. Præter malum, eam ipsam mali speciem omni studio devitent sacerdotes: illa divi Pauli verba oblivioni non tradant (2): «Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt». Oportet et illos testimonium habere bonum (3): ab omni sinistra suspicione, quantum in ipsis est, permaneant alieni, ut non vituperetur ministerium nostrum (4), et omne os obstruatur (5), adeo ut non sit qui loquatur de illis verbum malum (6).

(1) Prov. 4, 27. =(2) 1 Cor. 10, 22. =(3) 1 Tim. 3, 7. =(4) 2 Cor. 6, 3. =(5) Rom. 3, 19. =(6) Judith, 8, 8.



TITULUS XXIII.

De vita et honestate clericorum.

Quemadmodum Tridentini Patres monebant (1), «nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt». Quæ igitur a sacris canonibus de vita et honestate clericorum sunt statuta, nobis in votis est ut in hac nostra Provincia exactissime adimpleantur.

1. Etsi habitus non facit monachum, ait Tridentina Synodus (2), «oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant». Constituimus itaque, ut omnes nostræ ditionis clerici vestem talarum nigri coloris induant, etiam dum itineri sese committunt. Qui, ab Episcopo moniti, habitum non deferunt, per suspensionem ab ordinibus, officio et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, necnon, si, semel correpti, denuo in hoc deliquerint, per privationem officiorum et beneficiorum coerceri possunt et debent. Eodem modo tonsuram gestare, uniuscujusque ordini congruentem, obligantur clerici (3), quibus et comam nutrire prohibent Decretales (4).

2. Sub gravibus pœnis jam prohibebat Concilium Aurelianense (5) venationes et sylvaticas vagationes, ne contingeret ut clericus in sacris constitutus «in hac voluptate sæpius

(1) Ses. 22, c. 1. de refor. = (2) Sess. 14, c. 6. = (3) Can. *duo sunt*, caus. 12, q. 1. = (4) Decret. Greg. I. 3., tit. 1, c. 15. = (5) Cap. *Episcopum* de clerico venatore.

detentus fuerit». Ab illicitis *venationibus* (1) abstineant piscatores hominum, ea observando quæ in diocesanis Synodis præscripta sint vel præscribenda: nec arma, seclusa necessitate portent, quod acriter a sacris canonibus fuit interdictum (2).

3. Non minus graviter in Decretalibus puniuntur (3) qui «suæ terræ potius sæcularibus negotiationibus, quam officiis divinis intendunt»: quod pluries a Romanis Pontificibus (4) recentiori ævo fuit etiam vetitum. Itaque non licet clericis *actiones* in commendationem seu contractum societatis acquirere (5), nec *obligationes* emere ad carius eas vendendas, in ipsis negotiando, per se aut per alios, nec mercatus frequentare.

4. Canones vetant (6) ne clerici «ad aleas et taxilos ludant, nec hujusmodi ludis intersint». A lusibus proinde sortis, etsi modicam pecuniam exponant, clerici abstineant, præsertim in publicis locis; nec in ludis chartarum, sub prætextu honestæ quærendæ recreationis, tempus, cum populi fortassis murmuratione, terant, scientiis excolendis et animarum salutis curandæ necessarium.

5. Clerici, «nisi forte causa necessitatis in itinere constituti» (7), tabernas non ingrediantur, qua denominatione et apothecas illas, quæ patrio idiomate *cafes et casinos* vocantur, volumus intelligi. Iisdem ait noster Isidorus (8), cujus tot mirificæ sententiæ in Juris collectionibus reperiuntur, «lege patrum caveatur, ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus sese abstineant; non spectaculis, non pompis intersint; convivia publica fugiant».

(1) Decr. Greg. I. 5. tit. 24, c. 1. =(2) Ibid. I. 3, tit. 1, c. 2.=(3) Idem c. 16. =(4) Bened. XIV Bulla *Apostolica*, 25 Februarii 1741; Clem. XIII Const. *Cum plurimum*, 17 Sept. 1759. =(5) S. C. Ep. et Reg. 30 Januarii 1846. =(6) D. G. I. 3. tit. 1, c. 15. =(7) Ibid. =(8) Decr. Grat. part. I. dist. 23, c. 3.

6. In Concilio Mediolanensi I Coepiscopos suos sanctus Carolus hortabatur (1), «ut in singulis suis civitatibus curent parandum unum aut alterum publicum et honestum diversorium quo suarum diœcesium clericis rusticanis necessitatis causa convenire licet; nec in eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit, neve sæminis ullo modo; sed tantum clerici et religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur». Sapientissime hæc dicta fuere, et utinam possent in nostris omnibus civitatibus episcopalibus exequi, quum ignoret nemo, quibus sæpe incommodis ac periculis, et temporalibus et spiritualibus, obnoxii sint clerici, qui ad hospitia, nonnunquam ignota, divertunt, ubi cum sæcularibus cujusque sexus et conditionis conversari coguntur: dum autem ad communia diversoria accedere debeant clerici, speciali modestia ac gravitate se gerant, et, quantum possint, a sæcularium, præsertim mulierum, convictu abstineant.

7. In iis, quæ Patris sunt, oportet Christi imitatores esse (2): ne graventur igitur corda clericorum curis hujus vitæ (3): piscatores hominum sunt (4): dimittant mortuos sepelire mortuos suos (5): non turpe lucrum sectentur (6): argentum et aurum nullius concupiscant (7): nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit (8). Proinde, jam Conciha Africana decreverant (9): «Ne quis de clericis et Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli, divino sacerdotio honorati, et in clerico ministerio constituti, non nisi Altari et Sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debeant».

8. Clericis insuper per sacros Canones non licet «contentiones vel lites, vel rixas amare, in placitis sæcularibus dispu-

(1) Part. 2. tit. 25. —(2) Luc. 2, 49. —(3) Ibid. 21, 34. —(4) Math. 4, 19. —(5) Ibid. 8, 22. —(6) 1 Tim. 3, 8. —(7) Act. Apost. 20, 33. —(8) 2. Tim. 2, 4. —(9) Caus. 21, q. 3, can. 4 *Cyprianus*.

tare (1)» præter casus in Jure expressos, quia servum Dei non oportet litigare (2): nec «ministri laicorum» (3) debent esse, nec «procuraciones villarum, aut jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus et sæcularibus viris» (4) exercere; «nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas» (5); nec procuratoris officium (6) habeat, aut Præpositi sæcularis (7); et quia oportet «Theologiæ studium ampliari» (8), in Scholis publicis seu Universitatibus prohibentur clerici Jus Civile et Phisicam audire, «ne occasione talis scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur» (9); quare absque necessaria licentia nullus nostrorum sacerdotum in litterariis Institutis aut Universitatibus Professores laicos audire præsumat.

9. Propter corporis pericula, populi scandalum et irri-
sionem subsequenter, minime decet rota dicta *velocipeda*
sacerdotes ad deambulandum uti (10). Luxum in vestibus,
atque in habitaculorum ornatu, sicut et squalorem vitent:
chirothecis non utantur, nisi nigri coloris, et dum frigus id
necessarium faciat: taurorum agitationibus et comædiis in
publicis theatris interesse non audeant: musicis conventibus
non assistant: a frequentioribus ambulacris fugiant: a tabaco
fumifico in viis et plateis abstineant: nihilque faciant status
sui sublimitati ac sanctitati incongruens.

(1) Cap. *Multa sunt* 1, *Ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant.* =(2) 2 Tim. 2, 24. =(3) Eugen. Papa Lucensi Episcopo. =(4) Alexand. 3 in Conc. Later. =(5) C. Later. 4, c. 18. =(6) Dec. Greg. lib. 3, tit. 50, c. 2 =(7) Cap. *Clericus* 5, *Ne clerici vel monachi.* =(8) Cap. *Super specula* 10, *Ne clerici.* =(9) Deer. Greg. 1. 3, t. 50, c. 3. =(10) S. C. Episc. et Reg. 23 Sept. 1894.

TITULUS XXIV.

De cohabitatione clericorum et mulierum.

Optime fuit a Patribus Tridentinis dictum (1): «Quam turpe, ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum in impudiciæ sordibus immundoque concubinato versari, satis res ipsa, communi fidelium omnium offensione, summoque clericalis militiæ dedecore, testatur». Idcirco, nos, qui disciplinam universam Tridentinam ab omnibus, ad quos spectat, custodiri in votis habemus, valde, divina gratia, solliciti erimus, ut continentiae clericalis lex strictissime servetur, usque ad privationem beneficii et excommunicationem, si, quod Deus nolit, opus fuerit, ad normam in Concilio Tridentino præscriptam, vel juxta canonicas sanctiones perveniendo.

1. Non concubinas tantum, sed mulieres quomodolibet suspectas (2) secum habere clerici prohibentur, etiamsi illæ sint «quas Canones concedunt» (3), «quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum accesibus copulatur; fœmenina conscientiam secum pariter habitantis exurit» (4). Ut omnis tolleretur suspicio, hæc Synodus optaret, ut viri sacerdotibus famularentur; quod si mulieres sibi consanguinitate non proxime conjunctas domi habere cogantur, eas quærant quæ, ratione ætatis, honestatis, famæ ceterorumque adjunctorum nullum populi offensionem locum relinquant: quando, omnibus perspectis, nec sacerdotis conditionibus prætermissis, mulier aliqua suspecta dici debeat, ad illam absque

(1) Sess. 25, c. 14 de refor. —(2) Can. *Oportet* 23, dist. 81. —
 (3) Decr. Greg. 1. 3, t. 1, c. 1. —(4) Decret. Grat. p. 1, dist. 32, c. 17.

strepitu dimittendam sacerdotem inducat Episcopus, et dum, passione ductum, eum inobedientem experiatur, pœnis canonicis mulctet.

2. Cum famulabus, quantumvis honestis, sacerdotes familiaritatem fugiant: eas non ut dominas haberi permittant: in itinere non comitentur: postquam nupserint, domi haud retineant; in parochiali regimine quoquomodo sese ingerere non patiantur: mensæ cum iisdem, etiam in aliorum clericorum aut in propriis domibus, non assideant: vestes servili conditioni non congruentes deferre, atque saltationibus et scenicis spectaculis assistere non consentiant. Expedi communitè, ut Parochi extra parochiam famulas quærant; maxime præstat, ut singulis mensibus vel saltem unoquoque in anno, illis salarium solvant, utque acceptæ rei syngrapham custodiant: atque omnino indecorum reputamus, ut clericus famulam, aut famula clericum hæredem instituat.

3. Vetant Canones ne «solus Presbyter cum sola fœmina fabulas misceat» (1), sed «ubi aut clerici præsentés sint, aut graves aliqui christiani» (2). Omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignorari aut æqualiter diligere a sacerdotibus volebat divus Hieronymus; eo vel magis quod, mœnente sancto Bonaventura, amor spiritualis facile convertitur in carnalem, et, scribit sanctus Augustinus, quo sanctiores sunt mulieres, eo magis alliciunt: Christum imitentur Ejus ministri, qui, ad nostrum omnium exemplum, sic familiaritatem cum mulieribus fugiebat, ut mirarentur Apostoli quod cum Samaritana sermocinaretur (3): nec in earum confessionibus audiendis nimis affabiles se præbeant, neque ipsarum domus frequentent, aut munuscula et alia hujusmodi, quæ amicitiam fovent, libenter ab illis accipiant: celebrem illam Spiritus Sancti sententiam (4) umquam terant oblivione: «in

(1) Decr. Grat. p. 1, d. 81, can. 20. —(2) Can. *Clerici* 32, d. 81. —(3) Joann. 4, 27. —(4) Eccli. 42, 12-3.

medio mulierum noli commorari; de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri».

4. Omnia quæ pulcherrimum castitatis florem marcidum reddere possunt, summo studio clerici effugiant: membra mortificent (1), oculorum sint retinentissimi, quia ascendit mors per fenestras (2): ostendant ex bona conversatione operationem suam (3), sic ut adipiscantur gloriam in conversatione gentis (4), et confundantur qui eam calumnientur (5): profana et vaniloquia devitent (6), modestia sua nota sit omnibus (7); oportet namque illos et testimonium habere bonum (8).

5. Luxuriosa res vinum (9), in quo et est luxuria (10), proinde, «ante omnia a clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est», constituebat jam pridem Synodus Agathensis (11); et in Concilio œcumenico Lateranensi hæc de clericis edicebat Innocentius III: «Vinum sibi temperet, et se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur; cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum». Comessionibus computationibusque non se dedant clerici: nec facile, a laicis invitati, ad convivia accedant: ecce hoc fuit iniquitas Sodomæ saturitas panis et abundantia (12).

6. Multam malitiam docuit otiositas (13), quæ omnium vitiorum est «quasi magistra quædam et origo», prout monet Chrysostomus (14), et *prædo castitatis* a Ven. Kempis appellatur (15). Ut itaque angelicam hanc virtutem sartam tectam inter tot tantaque mundi pericula clerici servant, eos præsertim, qui parochiis ruralibus degunt, per Dei gloriam et

(1) Colos. 3, 5. = (2) Jerem. 9, 21. = (3) Jac. 3, 13. = (4) Eccli. 50, 5. = (5) 1 Petr. 3, 16. (6) 2 Tim. 2, 16. = (7) Philip. 4, 5. = (8) 1 Tim. 3, 7. = (9) Prov. 20, 1. = (10) Ephes. 5, 18. = (11) Can. 4. = (12) Ezech. 16, 49. = (13) Eccli. 33, 29. = (14) Homil. 36 in Math. c. 10. = (15) Ser. 4 ad fratres.

propriam ipsorum salutem adjuramus, ut ab otio, quasi a validissimo continentiae hoste, quibus possint modis, fugiant. Instanter operentur (1): difficillime, etiam in vicis et pagis, plurimum temporis eis superest, qui animarum zelum habent: omnibus debitores sunt (2), omnesque cupiendo in visceribus Jesuchristi (3), sedulam navent operam, ut omnes salvi fiant (4). Omnes diei horas sic ordinatas habeant, ut nimium tempus recreationi haud concedant: domi praesertim curent ut animum in aliqua re intentum habeant, honestis ad ipsius oblectationem occupationibus vacando. Artes mechanicæ ac serviles jure merito clericis sunt vetitæ: artibus tamen ingenuis dictis, et mechanicis ipsis intra domesticos parietes et caute, exercitari ad otium abigendum multum confert.

(1) Eccl. 9, 10. =(2) Rom. 1, 14. =(3) Philip. 1, 8. =(4) 1 Cor. 9, 22.



TITULUS XXV.

De clericorum scientia.

Quanta debeat esse clericorum scientia, maxime eorum qui confessiones audiunt et parœciis præsunt, ignorat nemo: nullum itaque nos lapidem non movebimus, ut ea clerus noster præditus sit, quæ ipsius ministerio et temporum conditioni congruit.

1. Experimentum in anni academici fine ad curriculum adprobationem, non pro mera formula, sed qua par est severitate fiat: qui duobus non interruptis cursibus scholaribus reprobatus fuerit, non sine gravi causa studia in Seminario prosequi permittatur; et sine mora expelli debet qui spem non afferat scientiam clericis necessariam adquirendi.

2. Sæpius admonent Episcopos sacri Canones, ne manus eis imponant, qui ob defectum scientiæ idoneitate ad clericalia ministeria obeunda carent; atque Innocentius III hæc in Concilio universali Lateranensi omni meditatione digna sancivit: «Si de cetero rudes et ignaros ordinare præsumpserint, quod quidem facile poterit deprehendi, et ordinatores et ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. Sanctius enim est, in ordinatione, maxime Sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros; quia, si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur». Ordinandorum itaque examinatores, in quorum deputatione summa cura est adhibenda, meminerint sui officii momentum, malaque ex ipsorum nimia benignitate facile Ecclesiæ provenientia. Vota nuncupat Burgense Concilium, ne Episcoporum occupationes eis impediant, quominus his examinibus præsideant.

3. Ante quamlibet ordinationem congruenti severitate candidati examinentur, maxime autem ad Subdiaconatum suscipiendum, in quo clerici castimoniam perpetuam profitentur, et, perpetuo e mundanis officiis separati, Ecclesiæ ministerio manciantur, adeo ut, altioribus ordinibus negatis, non sine magno negotio congruam clericali statui sustentationem adquirent, et facile in desperationem conjicerentur.

4. Post Presbyteratum susceptum, nullus concionandi et confessiones audiendi licentiam obtineat absque alio riguroso examine, cui præsit Episcopus, nisi urgentioribus laboribus detineatur: hæc autem ultra tres annos nemini absque speciali Prælati consensu concedatur: in secundo et aliis examinibus ad licentiæ durationem determinandam ratio habeatur omnium examinandi conditionum.

5. Superveniente rationabili causa, potest Episcopus, etiam ex officio, tam in visitatione quam extra, parochos a Decessore suo institutos examinare (1): imo, quando adest vehemens suspicio de parochorum imperitia, etiamsi hujus probationes judiciales non præcedant, vel ipse Antistes, qui eos ad curam animarum prævio concursu adprobavit, iterum examini potest subjicere (2). Comperta vero per novi examinis experimentum, ait Benedictus XIV (3), parochi inscitia et imperitia, ei juxta Tridentini Concilii decretum (4), Coadjutorem aut Vicarium pro tempore deputare debent Prælati, et huic «partem fructuum pro sufficienti victu assignare».

6. Quo autem parochi majora ad studium incitamenta habeant, necnon ad mutuam clericorum caritatem atque in cæremoniarum praxi et casuum moralium solutione uniformitatem fovendam, supra quod est dicibile referunt collationes ecclesiasticæ a tot tantopere Romanis commendatæ aut injun-

(1) S. C. Conc. 13 Jan. 1635. =(2) Id. 15 Jan. 1667. Episc. Pampilonensi. =(3) De Synodo Diœcesana l. 13, c. 9, n. 21. =(4) S. 21, c. 6 de ref.

etæ Pontificibus. Nihil proinde reliqui faciant Episcopi, ut omnes de clero sacris initiati conferentiis intersint, quæ locis, tempore et modo ab ipsis definitis aut definiendis habeantur, pœnam pecuniariam adversus sine gravi causa non interessentes constituendo: a congregatione cleri civitatis episcopalis, nec canonici, legitimo impedimento non detenti, semper abesse præsument, «quoniam, legitur in Synodo diœcesana Luci Augusti (1), sua præsentia collationes honore afficiunt, et ceteros clericos ad conveniendum allicient, atque ecclesiasticorum, quos sunt examinaturi ad munus parochiale vel facultatem confessiones audiendi illis impertiendum, studium promovebunt, et sua scientia, dum verba facere voluerint, congregatos aptissime erudiant».

7. In Pontificis rationali iudicii, præcipiebatur in Exodo (2), ut poneretur doctrina et veritas; nam in doctrinis sacerdotes debent glorificare Dominum (3): Sacræ Scripturæ et ecclesiasticis disciplinis præsertim studeant, non ea quam in Seminario acquisiverint contenti eruditione, nam etiamsi hæc solidissima fuerit, tale est ingenium nostrum, scribebat divus Augustinus, «ut torpescat, si usus destituerit lectionis.»

8. Præter studia quæ directe ad seipsos et proximum sanctificandum referuntur, aliis vacent sacerdotes, si eis per tempus licet; sed non adeo ut supervacua tamquam principalia æstimentur, et quæ ad animum recreandum aut inania scitanda pertinent, iis anteponantur quæ ad obligationem adimplendam sunt necessaria. Oportet, inspecta nostræ ætatis conditione, ephemerides legere, quæ ut publica scientiarum opinionumque vehicula habentur: non sine detrimento eas penitus negligere theologus poterit, ajebat quidam celeberrimus (4); «earum enim ope cognoscet jugiter præsentem controversiarum statum, sicque facilius valebit de statione

(1) Ann. 1891, pag. 130. —(2) 28, 30. —(3) Isai. 24, 15. —(4) Perrone *de locis theologicis*.

in stationem errorem dejicere, donec contritus ac dissipatus conticescat sui que pudeat»: attamen nec immodicum tempus in collectionibus periodicis legendis insumatur, nec in folii diarii electione sine consilio et magna circumspectione procedi debet.

9. Ad otium fugiendum et animum honeste relaxandum, valde confert librorum lectio: quum tamen maxima hodie inopia laboret clerus, et ceteroqui volumina laicis consanguinibus legata nihil ipsis prodesse citoque consumi frequenter contingit, et vilissimo pretio sub hasta venduntur, optaret Synodus omnes parochos libros suos Ecclesiæ donare, ut in unaquaque parochia sacerdotales bibliothecæ crearentur.



TITULUS XXVI.

De clericorum privilegiis.

Multis juxta sacros Canones gaudent clerici privilegiis, immunitatibus atque exemptionibus, quæ, etsi de paucis dici vellet a Principum concessione originem duxisse, naturali æquitati et rationis lumini apprime consonant. Nam qui curam habent rerum spiritualium, qui sacra ministeria obeunt, qui in animabus sanctificandis sunt toti, qui a Deo accipientes claves regni cœlorum potestatem exercent ligandi atque solvendi et divina ministeria dispensandi, æquum est, et ab omnibus populis sacerdotibus suis tributum historia testatur (1), ut quibusdam privilegiis, statui suo ac dignitati congruentibus, compensentur, quia, scribebat divus Thomas (2), «sicut Reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus, et sic per hoc, quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi, quod pro eorum pace laborat». Dolendum itaque est clericos quoad plurima hodiernis legibus in jus commune abiisse.

1. Ad clericorum corpus, libertatem ac dignitatem tuendum in canone 45 Concilii Lateranensis II sub Innocentio II statutum fuit (3) anathematis vinculo subjacere, et a nullo præter Romanum Episcopo esse absolvendum, qui opere clerici aut monachi personam offenderet: atque ex Constitutione *Apostolicæ Sedis*, excommunicationem simpliciter Summo Pontifici reservatam incurrunt qui, suadente diabolo, violentas manus in clericos vel utriusque sexus monachos injiciant, «exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus,

(1) Cap. *Non minus* 4 de Immunit. Eccles. —(2) Lect. in Epis. ad Rom, c. 13. —(3) Decr. Grat. part. 2, caus. 17, q. 4, can. 29.

jure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat». Præterea clericorum percussores, si sunt notorii adeo ut, quemadmodum in Constitutione Martini V *Ad evitanda* dicitur, «factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari», vitari debent a fidelibus, non secus ac nominatim excommunicati, suspensi, et interdicti. Quando igitur, quod Deus non permittat, clericus, etiamsi prima tantum tonsura insignitus, actione contumeliosa, externe gravi, læsus fuerit, ad Ordinarium referat ut sacrilegii punitio, prout deceat, sit in exemplum.

2. Quum filius Dei sit Christus, ideoque ab hominum potestate exemptus, ministri Ejus, qui vocantur et sunt *domestici Dei*, foro sæculari non subjiciuntur, sicut nec sacerdotes in antiqua lege subjiciebantur: propter quod rectissime dictum fuit a Constantino Imperatore, quando in Concilio Nicæno coram se fuere contra aliquos clericos depositæ querelæ (1): «Vos a nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini: Dii etiam vocati estis, et ideo non potestis ab hominibus judicari». Dei ordinatione et canonicis sanctionibus fuit constituta Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas (2): qui illam violant, contra leges divinas agunt, dicebat sanctus Gelasius Papa (3); et legislatores aliæque auctoritates cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones, excommunicantur (4).

3. Cum Sancta Sede, infallibili veritatis magistra, sicut tenemus sine naturalis juris et æquitatis violatione abrogari non posse personalem immunitatem, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur, tamquam errorem damnamus eorum doctrinam, qui profitentur «ecclesiasticum

(1) D. Grat. causs. 11, q. 1. c. 5. =(2) C. Trid. sess. 25, c. 10 de ref. =(3) Decr. Grat. causs. 11, q. 1., can. 13. =(4) Const. *Apostolicæ Sedis*, 7.

forum clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede».

4. Declaramus fori privilegium in Hispania jure subsistere, quamvis *de facto* vi decreti Gubernii ad tempus constituti (1), in causis sacramentalibus, beneficialibus, in divortio et nullitate matrimonii et in delictis ecclesiasticis tantum permittatur. Quidquid sit de illius Gubernii auctoritate, personarum ecclesiasticarum immunitas non a jure civili ortum habuit (2), et proinde non a civili potestate abrogari potest. Adde quod in Hispania Concordatum novissimum anno 1851 statuit quod «cetera ad res et personas ecclesiasticas pertinentia, dirigentur omnia et administrabuntur juxta canonicè vigentem disciplinam» (3), ideoque privilegii fori abrogatio, utpote contraria disciplinæ canonicæ vigenti, adversatur etiam vigenti Concordato, in cujus penultimo articulo hæc habentur: «Ipsa conventio ut lex Status deinceps eisdem in dominiis perpetuo vigeat; atque idcirco utraque contrahentium pars spondet se successoresque suos omnia et singula, de quibus in his articulis utrinque conventum est, exacte servaturos».

5. Ecclesiasticis et civilibus legibus insistens, ut nullus clericus inconsulto suo Prælate in quacumque causa, seu civili, seu criminali, jurare auderet, statuit Honorius II (4). Nullo modo potest clericus voluntarie testificari contra laicum, quando agitur criminaliter ad huic irrogandum pœnam sanguinis aut mortis; alioquin, effectu secuto, irregularitatem contraheret, ob defectum lenitatis: itaque oportet ut clericus, dum ejus testimonium in causa criminali exigatur, se nolle deponere ad id ut mortis pœna infligatur, protestetur. «Nemo, legitur in Decreto (5), quemlibet clericum in publico exa-

(1) 6 Decembris 1868. = (2) Pius IX, 8 Decemb. 1864. = (3) Art. 43. = (4) Decr. Greg. lib. 2, tit. 7, c. 1. = (5) Part. 2, caus. 11, q. 1, can. *Testimonium*.

minare præsumat»: ideoque eum ad testimonium coram se ferendum cogere nequit iudex laicus (1), quia, præterea, canones vetant ne clericus laico quicquam juret (2); testes autem non jurati nullam merentur fidem (3).

6. Quoniam autem nonnumquam in causis, quæ in seculari foro agitantur, opus est clericorum testimonio, sapienter in sacris statuitur Canonibus ut his in casibus (4), «ne veritas occultetur, et malus ut bonus æstimetur, proprii Episcopi sit, ut aut coram se et competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem attollant»: hocque fieri deberet, ut nempe, dum clericorum testimonio opus est iudici laico, is Episcopum requireret, qui per se aut delegatum illud acciperet, et sigillo suo munitum per tabellionem aut aliter mitteret ad iudicem causæ. Quia vero, juxta plures Doctores, potest clericus a iudice laico examinari de Episcopi consensu, nullus, ut aliquatenus fori privilegium servetur, in hac Provincia clericus testimonium in tribunali laico ferat, quin a proprio Ordinario vel ab ejus Vicario generali veniam exposcat.

7. Siquidem de omni crimine, scriptum invenitur in Decretalibus (5), clericus debet coram ecclesiastico iudice conveniri; nec seculari iudici ipsum condemnare licet «sine permissu Pontificis» (6); et omnino prohibetur ne «clerici trahantur a laicis ad iudiciumulare» (7), quod pejus esset si ab aliis clericis fieret, propterea, ut nostri, quantum in ipsis est, consilia evangelica (8) de non litigando memoria recolentes, cum iis qui ab ipsis aliquid petant, sese componant: quod si per illos non steterit, quominus contra clericalia privilegia ad laicum forum trahantur, comiter et opportune coram iudice se involuntarie comparere declarent: qui

(1) Decr. Gregor. 1. 2, t. 2, c. 2. —(2) Decr. Grat. p. 2, caus. 22, q. 5, can. *Nullus*. —(3) De Test. et attestationibus, c. 39 et 51. —(4) Can. *Quamquam* 14, q. 2. —(5) Cap. *Clerici*, 8, de *judiciis*. —(6) Cap. *Nullus*, 2 de *foro competente*. —(7) Cap. *Qualiter*, 17 de *judiciis*. —(8) Math. 5.

vero necessitate compulsus clericum ad seculare forum vocare velit, ab Ordinario veniam petat ei nunquam negandam, præsertim si ipse Ordinarius dissidiis componendis frustra incubisset; ad Episcopum autem in idem forum conveniendum opus est Apostolicæ Sedis licentia. «Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Sanctæ Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit in eum, præsertim si fuerit clericus, animadvertere pœnis et censuris ferendæ sententiæ, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverint» (1): clericus vero ad sæculare iudicium vocatus, priusquam compareat, rem, si per tempus licet, ad Ordinarium deferat; et si ille sit, qui ad jura sua perseguenda in negotiis, quorum cognitio a lege civili iudici laico tribuitur, laicum vel alium etiam clericum ad sæculare tribunal vocare cupit, indigere sciat, ex præscripto Conciliorum Agathensis et Chalcedonensis, Prælati licentia: hæc tamen non concedatur, quin Antistes per se vel per alium partibus reconciliandis aut componendis operam dederit, ipsis suadendo ut iudicis ecclesiastici sententiæ vel arbitratorum dictamini rem subiciant. Clericus vero, qui causæ fuerit cur lis cum alio clerico coram laico iudice præsequi debeat, severissime ab Episcopo puniatur.

8. Ex ecclesiasticis legibus exemptione gaudent clerici pro bonis patrimonialibus, et pro acquisitis et donatis (2), quemadmodum ex iisdem eximuntur ab impositionibus, collectis, aliisque hujusmodi oneribus (3), illo hospitandi milites non excepto (4), nisi onera fuerint certa, realia, et invariabilia (5). Quando autem tributa ab auctoritate civili ad communem utilitatem imponebantur, nec a solis laicis poterant

(1) S. C. Univer. Inquisit. Instruc. 23 Jan. 1836. —(2) S. C. Immunitatis 4 Sept. 1674. (3) Id. 23 Jun. 1647. —(4) Id. 10 Sept. 1629. —(5) Id. 17 Jan. 1626.

satisfieri, id cognoscentes Episcopus et Clerus, libenter, juxta sacros Canones (1), ea solvebant, Romano Pontifice prius consulto: et apertissime historia testatur quanta fuerit Ecclesiæ largitas in Status necessitatibus bonis propriis semper subveniendo. Vel maxime optaret hæc Synodus ut clerici, præsertim parochi, ab illo vectigali eximerentur pro esculentarum mercium consumptione imposito, hispanice *contribucion de consumos*, quod occasione est clerum vexandi, et supra id ipsum quod lex permittit gravandi, si factioni politicæ eorum, qui vectigal distribuendi facultatem habent, non servit: ut saltem abusus, quantum possibile sit, minuantur, clerici a quibus supra modum a lege ipsa civili præscriptum pecunia fuerit exacta, reclamant et conquerantur apud laicas potestates, ne deterioris conditionis quam ceteros cives clericos fieri permittant, et rem ad Episcopum deferant.

(1) Deer. Gregor. 1. 3, t. 49, cap. 4 et 7.

PARS TERTIA.

DE REBUS SACRIS ET REI SACRÆ ANNEXIS.

TITULUS I.

De Sacramentis in genere.

Dives in misericordia Dominus quum sit, gratiam sanctificantem, cujus Ipse est causa principalis effectiva, meritoria autem Christus Redemptor, donum nempe illud annexam habens fidem, spem et charitatem, per quod anima ineffabili pulchritudine donata, et fortitudine roborata divina, ad ordinem supernaturalem elevata, Dei filia et vitæ æternæ hæres efficitur, signorum sensibilium ope hominibus communicat, ut se animæ imbecillitati accommodet, quæ per visibilia ad invisibilia solet assurgere, atque ut hominis superbiam coerceret, qui, siquidem peccato corporalibus se subjecit, ad peccati vulnus medendum sensibilibus elementis uti debebat, quæ quidem non medicinæ tantum sunt, sed divinarum promissionum veluti sigilla pignoraque, et quædam Religionis nostræ symbola.

1. Hæc Novæ Legis Sacramenta, quorum septenarius numerus a Christo institutus apprime rationi et Scripturæ symbolis congruit, quorumque cum vita corporali proportionem

Concilium Florentinum declaravit, duas habent partes, res seu actiones sensibiles ad gratiæ sacramentalis effectum significandum aptissimas, et verba, quæ, tamquam in compositis naturalibus materiam forma, illas determinant ad diversa exprimendum indifferentes. Sacramentorum materia et forma, quarum unio animæ et corporis in homine junctionem et æterni Verbi incarnationem in mentem affert, Christum institutorem habent, sic ut ipsis substantialiter mutatis Sacramentum non fieret omnino: quam maxime igitur oportet, ut Sacramenta confecturus, non solum, more humano agens, intentionem habeat, quæ absolute necessaria est (1), saltem faciendi quod facit Ecclesia, sed id quod agit consideret, voluntarias distractiones devitandæ, sive ob reverentiam debitam Sacramentis, sive ob periculum ea invalida reddendi, materiam et formam requisitas non adhibendo.

2. Recepti et approbati Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consueti, nec contemni, nec sine peccato a Ministris pro libito omitti, nec in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari possunt (2). Sciant igitur Sacerdotes et fidelissime servent sacras ceremonias, quæ ad fidelium in rebus dogmaticis et moralibus instructionem mirifice inserviunt, atque ad ipsorum Sacramentorum venerationem et suscipientium utilitatem valde conferunt, necnon, ex apostolica disciplina manantes, atque societatis christianæ unitati respondentes, mentem ad altissimarum rerum contemplationem excitant.

3. Harum ceremoniarum significationem, sicut Sacramentorum naturam, vim atque excellentiam in ipsorum administratione pro opportunitate et in pastoralis prædicatione populo fidei animarum curatores declarent: dum ea ministrent, et opus fuerit, Ritualement Romanum secum semper habeant, atque ex illo, memoriæ non fidentes, orationes dicant,

(1) Conc. Trid., sess. 7, can. 11. — (2) Id. sess. 7, can. 13.

verba distincte ac pie pronuntiando: curent ut ornamenta et vasa ministerii sacri integra sint et munda: congruenti et præscripto habitu utantur, atque, dum fieri possit, alios sacerdotes sibi socios adjungant.

4. Quamvis ministri pravitas Sacramenti valori non officit (1), quod totam a Christo haurit suam virtutem, lethali obstringuntur peccato, qui in statu gratiæ ea non ministrant. Si enim in veteri Lege mundari jubebantur, qui ferebant vasa Domini (2), ne eos percuteret (3) qui sanctificatur in illis qui appropinquant sibi (4), novum animæ suæ vulnus non possunt non infligere qui Sacramenta, vasa nempe quibus sanguis Christi continetur, non mundo corde conficiunt vel dispensant. Ad sancta igitur sancte tractanda, Sacramentorum ministri stola gratiæ semper sint indati: quod si, peccati lethalis sibi conscii, illa administrare debeant, prius confessione purgentur, vel corde vere pœniteant.

5. Omni reverentia atque ea gravitate et devotione, quæ fidelium animos in tantorum donorum venerationem movere possit, Sacramenta ministrentur: ipsa autem haud præbeantur in aliena parochia, nisi necessitate compellente, aut cum Parochi consensu vel de Ordinarii licentia: hoc porro Sacramentorum minister diligenter caveat, ne in illorum administratione «aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte, exigat aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ atque avaritiæ suspitione, nedum crimine, longissime absit» (5): oblationes vero, quas prius christiani pro sua pietate dabant cum Sacramenta suscipiebant, et temporis cursu in laudabiles consuetudines abierunt, præstari debent, ut Concilium IV Lateranense sancivit (6), ad idque recusantes cogi possunt, quoniam minime rerum sacrarum pretii ra-

(1) C. Trid. s. 7, can. 12. de sacram. in genere. = (2) Isai. 52. 11. = (3) Exod. 19, 22. = (4) Levit. 10, 3. = (5) Rit. Rom. tit. 1, cap. 1, n.º 13. = (6) Cap. 42, de simonia.

tionem habent, sed præmii laboris, et alimenti jure divino altaris ministris debiti.

6. Haudquaquam sine ratione animarum curatores Sacramenta fidelibus denegent; nec tardi sint, aut ægri animi indicia præbeant, quum ad illa dispensanda vocantur: etiam curam parochialem non habentes, non modo casibus in quibus ex charitate vere teneantur, sed dum fideles rationabiliter petant, prompto et alaeri animo, ne in vacuum gratiam Dei recepisse dicatur, ad Sacramenta ministranda, maxime autem ad confessiones audiendum, accedant. Attamen, mysteriorum Dei dispensatores, Ejus voluntatem exsequi debent dicentis: «Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos» (1): quamvis, igitur, occultis peccatoribus publice denegari non debeant Sacramenta, eo quod, dicente divo Thoma (2), «occulta non possunt publice puniri, sed sunt divino judicio reservanda», minime illa concedantur ipsis occulte petentibus, et publicis peccatoribus, quocumque modo petant, nam hoc, dicebat sanctus Cyprianus (3), nec majestati divinæ nec evangelicæ disciplinæ congruit: summa tamen prudentia, ob perturbationes gravioraque incommoda, quæ oriri possunt, in publica Sacramentorum denegatione utatur, et, ubi res patiat moram, Ordinarii prius expostuletur iudicium.

7. Inter libros qui parochiales dicuntur, ii recensentur in quibus baptizatorum, confirmatorum nuptorumque nomina ex vetustissima traditione, cum ceteris ad Sacramenti administrationem attinentibus, inscribuntur; non alia autem in unaquaque diœcesi descriptionis formula utatur præter ab Episcopo præscriptam: accuratissime, et quam primum post actum fieri possit, papyro et atramento quæ diutius consistant utendo, et, si quæ fuerint menda, ante subscriptionem annotando, Parochus descriptionem faciat, aut, modo subscribere

(1) Math. 7, 6. =(2) Part. 3. q. 80, art. 6 ad 1. =(3) Epist. 11.

tantum possit, operam prudentis personæ, quæ aptam scribendi formam habeat, adhibeat. Opus non est ut hujusmodi librorum chartæ regio muniantur sigillo; nec ab inspectoribus Fisci examinari debent (1); neque a parochiali archivio absque nostra licentia extrahantur: ordine alphabetico cognominum, ad calcem cujusque libri index apponatur.

8. Ad omissiones erroresque vitandum initio cujusque anni a Parochis in Ecclesia legi nomina et cognomina eorum, qui superiori anno baptizati, matrimonio copulati, aut sepulti sunt, cum parentum et, in casu, patrinorum nomine, et annotatione diei, qui in inscriptione constet, ut quæ fuerint corrigenda corrigantur, opportunum ducimus. Errores autem et omissiones postea compertæ nonnisi auctoritate Ordinarii et juxta modum ab illo præscriptum, rei veritate inspecta, emendentur; quemadmodum de ipsius solummodo licentia, opportunis præmissis diligentibus, annotari debet filiorum per subsequens parentum matrimonium legitimatio. Tanquam legitimus inscribatur filius natus a matre in facie Ecclesiæ nupta, nisi de adulterio per judicis sententiam constet: de filiis ortis ab ignotis vel matrimonio civili conjunctis parentibus (2), hæc circumstantia simpliciter exprimat: quamvis filiorum naturalium progenitores sint noti, vel saltem mater, illi tamquam *ab ignotis parentibus* nati inscribantur, nisi coram Notario et testibus fuerint agniti, et licentiam ad parentum nomina exprimenda Ordinarius concesserit. Inter alia in id genus descriptionibus non omittenda, si infans valide domi fuerit baptizatus, aut in Ecclesia sub conditione, vel patris aliorum opera infantem susceperunt, vel aliquis nuptorum per Procuratorem matrimonium contraxit, aut illud cum impedimentorum aut denuntiationum dispensatione fuit celebratum, hæ circumstantiæ omnino sunt exprimendæ.

(1) R. O. 6 Jan. 1887. =(2) Sac. Pœnit. 1 Sept. 1870, *Dert.*

TITULUS II.

De Baptismo et ejus effectu.

Baptismatis munus, ait divus Augustinus (1), contra originale peccatum donatum est, ut generatione attractum, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata, quæcumque ore, corde, opere commissa invenerit, tollit: atque in hac magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, solvitur omnis reatus, et ingeneratus et additus. Qui equidem baptismali ablutione, quæ fit in remissionem peccatorum (2), tinguntur, sanctificantur; et consepulti cum Christo per Baptismum in mortem (3), ad ambulandum in novitate vitæ resurgunt (4), *candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores* (5), quin ullam ob remissa peccata pœnam luere debeant.

1. Non potest introire in regnum Dei qui renatus non fuerit ex aqua et Spiritu Sancto (6): et ipsi infantes, quoniam originali peccato sunt infecti, salutem consequi nequeunt, nisi Christo per Baptisma copulentur, et in secundo Adam vivificentur per lavacrum regenerationis: ex quo apparet quanti intersit, ut parvulis Baptisma non quolibet prætextu differatur, ne animas Christi sanguine redemptas Dei beatifica visione in perpetuum privari contingat.

2. Quum tanta sit Baptismi necessitas, benigna Dei ordinatione, a quocumque rite conferatur, valet (7): propter quod fideles de illum ministrandi ratione edocendi sunt, ut,

(1) Enchirid. 64. =(2) Act. Apost. 2, 38. =(3) Rom. 6, 4. =(4) Eph. 4, 23. =(5) Jerem. 4, 7, Thren. =(6) Joann. 3, 5. =(7) Conc. Lat. IV, c. *Firmiter*.

deficiente Sacerdote, cui ex officio competit baptizare (1), et Diaconis, quos Baptismum administrasse necessitate extrema compellente legimus (2), aliisque clericis, quos rectus ordo, ut laicis anteponantur, exigit, baptismum conferant in vitæ periculo, ne alicquin, ut Tertulianus loquitur, rei sint per-diti hominis (3): mulieres præsertim, quæ arti obstetriciæ operam dant, diligenter de Baptismum administrandi ratione Parochus moneat; atque ut illum non omittant, mortis periculo impendente, etiamsi infans sit in utero matris, dummodo in aliquo membro, vel instrumenti ope aqua attingi possit, neque cum agatur de foetis abortivis, etsi recentissimis; simulque ut spirituali infantis in utero emortuæ matris clausi saluti, quo fieri possit modo, consulant, atque quoad foetus monstruosos præ oculis habeant quæ in Rituali Romano *de baptizandis parvulis* opportunissime docentur.

3. Si infans privatim baptizatus convalescat, ad Eccle-siam deferatur ut suppleantur baptismi solemnæ cæremoniæ, omissis forma et ablutione. Quemadmodum sub conditione baptizari debent foetus et infantes, ubi utrum baptismi sint capaces dubitatur, ita conditionate sunt abluendi, dum cære-moniæ in Ecclesia suppleantur, parvuli, quos valide baptizatos esse non certo constat postquam, ut rei veritas innotesceret, diligens præmissa fuit indagatio. Regula est a Concilio Car-thaginensi V tradita (4), quoties non inveniuntur certissimi testes, qui aliquem baptizatum esse sine dubitatione testentur, eum «absque scrupulo esse rebaptizandum»: unde baptizandi sunt *absolute* infantes expositi, qui sine schedula de baptismo suscepto reperiuntur, et *conditionate*, servato nomine, quod in illa appareat, qui schedam habeant, quæ non pariat certitudinem (5). Conferri non debet Baptismus sub conditione om-

(1) Decr. Eugenii IV *pro Armeniis*. —(2) Decr. Grat. dist. 93, cap. *Diaconos*. 13. —(3) De Baptismo, c. 17. —(4) Decr. Grat. part. 3, dist. 4, can. 111. —(5) S. C. Conc. 18 Decemb. 1723.

nibus hæreticis, qui ad catholicam fidem convertuntur, ex quocumque loco proveniant, et ad quamcumque sectam pertineant, sed in quolibet casu agi debet juxta id quod de validitate Baptismi in hæresi suscepti comperiat (1): Parochi vero, quid in singulis adjunctis facere deceat, Ordinarium consulant.

4. Proprius Baptismi ministrandi locus est Ecclesia, in eaque, et non extra illam, suppleri debent ritus in casu necessitatis omissi (2). Sicubi abusus irreperit Baptismum cum omnibus cæremoniis in domibus nobilium personarum ministrandi, removeri debet omnino (3), attamen *prudenter et caute*. Adamussim servetur quod in Rituali Romano præscribitur *de tempore et loco ministrandi Baptismi*, quoad Baptisterium, ut nempe «sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quæ aquam bene contineat, decenter ornatum et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliæ sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago sancti Joannis Christum baptizantis»: inter cancellos et fontem non minus sit spatii quam necessarium, ut commode intersint qui baptismo solemniter assistere debent aut solent: in Ecclesiis non parochialibus fontes baptismales haud sint, nisi ob justam causam licentiam Episcopus concesserit: si aliquandiu fonte lapideo Ecclesiam carere contingat, dum ille comparetur, habeatur «vas conveniens, ad hoc solummodo baptizandi officium, quod extra Ecclesiam non deportetur», prout in Concilio Ilerdensi fuit præscriptum (4).

5. Ad valorem Baptismi quælibet aqua naturalis sufficit, hæc enim materia, aptissima ad designandum effectum Baptismi, qui sordes animæ abluit, et æstuantem cupiditatis ardo-

(1) C. S. officii, 20 Novemb. 1878. —(2) S. C. Rit. 23 Sept. 1820 *Calagurritana*. —(3) S. R. C. 27 April. 1877. —(4) Decr. Grat. p. 3, dist. 4, c. *omnis Presbyter*.

rem refrigerat, convenientissime a Christo fuit designata, quum ab omnibus facillime haberi possit ad Sacramentum omnibus necessarium: ad Baptismum autem solemnem non alia licet uti nisi benedicta eo anno in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, cui, si adeo imminuta fuerit, ut sufficiens non existimetur, alia non benedicta, in minori tamen quantitate, addatur; quod si illa omnino desit vel non valeat, aqua recens ex formula Ritualis benedicatur: etiam, cum Sacrum Chrisma et Sanctum Oleum, quæ eodem anno, quo in Baptismo utuntur, debent esse ab Episcopo feria V Majoris Hebdomadæ benedicta, deficere videantur, aliaque haberi nequeant, eis oleum non benedictum adjici, hocque pluries fieri, licet (1), modo semper in minori addatur quantitate.

6. Extra casum necessitatis, tollenda est omnino consuetudo utendi pennicillo seu virgula argentea in administrando Baptismi Sacramento loco pollicis manus dexteræ (2): pariter, adhibendus est digitus pollex ad accipiendam salivam et tangendum aures et nares baptizandi (3): quæ sub inscriptione *De sacris oleis et aliis requisitis* in Rituali Romano leguntur, optime perspecta habeat Parochus, ut munda et beneeparata maneant omnia quæ ad Baptismum ministrandum in promptu esse debent. Tristissimis hisce temporibus, quibus non sine magno animi mœrore conspicimus non paucos esse christianos, qui per summum nefas criminali contubernio, quod *matrimonium civile* audit, junguntur, opportunum ducimus in memoriam omnium revocare quod, statuente Sacra Rituum Congregatione (4), filii ex suprascripta nefaria conjunctione accepti baptizandi non sunt pulsando organum et campanarum sonitu populum advocando, quum extrinsecæ hæ solemnitates in parentum honorem aliquatenus cedant.

7. Ut spiritualis generationis servaretur significatio, et

(1) S. C. C. 25 Septemb. 1682. =(2) S. R. C. 31. Aug. 1872, Tolletan. =(3) S. R. C. 4 Septb. 1875. =(4) 31 Jul. 1887.

in tuto religiosa pueri educatio poneretur, ex antiquissimis temporibus in Baptismo patrini adhibentur: quum autem inter ipsos ac baptizatum et hujus patrem et matrem impedimentum ad matrimonium contrahendum oriatur, ne illud multiplicaretur, statuit Tridentina Synodus (1) ut unus tantum, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum de sacro fonte suscipiant (2). Patrini autem esse prohibentur apostatæ, hæretici, publice excommunicati, infames, ignorantes rudimenta fidei, non baptizati, sectis masonicis nomen dantes, concubinato vel matrimonio civili sociati, usum rationis non habentes, et laici non adimplentes præceptum paschalis communionis. Quum vero plurimæ Synodorum constitutiones clericis omnibus infantem de sacro fonte levare prohibeant, inhibemus et nos, ne officium patrini suscipiant monachi et sanctimonialia; clericis autem secularibus, si accedat Episcopi licentia, hoc liceat munus.

8. Fidejussorum designatio ad parentes spectat: Parochus autem populum monitum habeat de iis quos patrinus esse canones vetant; quod si tamen aliquem ineptum aut indignum præsentari contingat, parentes inducantur ad alium designandum, et ipse nominatus bonis suadeatur modis patrini officium ei non posse concedi, sed, si vellet, tamquam testem assistere permittendo, vel Baptismus sine susceptoribus ministretur: numquam vero, ad vitanda litigia, indicentur motiva ob quæ publici peccatores rejiciuntur, neque ut tales arceantur qui non sint publice noti: in casibus autem difficilibus, ubi per tempus liceat, Episcopus consulatur. Quum Sanctorum nomina, quæ in Confirmatione mutari possunt, et diversa ab iis quæ in familia jam sunt usurpari oportet, baptizatis imponi velit Ecclesia, in omnibus parochialibus Ecclesiis Martyrologii Romani exemplar haberi commendamus, ut parochus tuto scire possit an admittenda sint necne nomina a parentibus proposita.

(1) Sess. 24, c. 2 de refor. Matrim. = (2) S. C. C. 11 Jun. 1881.

TITULUS III.

De chrismatis sacramento.

Siquidem, scribente divo Paulo (1), non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, et rectores tenebrarum harum, postquam in Baptismo Spiritus Sanctus confertur ad veniam, in Confirmatione datur ad pugnam, ut qui illic mundantur ab iniquitatibus, hic præmuniuntur virtutibus; quod pulchre his verbis ad Episcopos Hispaniæ rescribens Melchiades Pontifex expressit: «Spiritus Sanctus, qui super aquas Baptismi salutiferi descendit illapsus in fonte, plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam... In Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum regeneramur ad pugnam: in Baptismo abluimur; post Baptismum roboramur. Et si continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, vi victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace sæculi recipiendos; Confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos».

1. Hæc quum ita sint, adeo ut asserere non dubitaverit divus Cyrillus Hyerosolimitanus (2) quod baptizati, ante gratiam Confirmationis, non erant proprie digni nomine christianorum, quod a Chrismate Christi sumitur, sed potius eo progredientes tendebant, ut christiani essent, plane efficitur in charitatem erga seipsos peccare, et propriam non ut decet curare salutem, qui tanto bono sponte se privant, et, data opportunitate, gratiam huic Sacramento a Christo in omnium subsidium adnexam negligunt.

(1) Ephes. 6, 12. = (2) Catech. 5,

2. Quoniam ad spirituale incrementum atque ad fideles in christianæ religionis habitu perficiendos sacra Confirmatio præbetur, hinc, sicut spectat natura ut qui in lucem eduntur adolescant, atque ad perfectam ætatem proveniant, ita, legitur in Catechismo Romano (1), «communis omnium mater Ecclesia Catholica vehementer optat, ut in iis, quos per Baptismum regeneravit, christiani hominis forma perfecte absolvatur». Nostra autem ætate, quum tot tamque variis modis fides christiana impugnetur, et illam profitentibus tam gravia et multiplicia immineant certamina, quam maxime expedit ut parochi omni animi contentione satagant in fidelibus inducendis ad hoc Sacramentum, dum possint, digne suscipiendum.

3. Qualibet in ætate recipi potest Sacramentum Confirmationis, nam, prout diserte divus Thomas arguit (2), de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, anima autem, ad quam pertinet et spiritualis nativitas, et spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, et potest sicut tempore senectutis corporalis spiritualem nativitatem, ita et perfectam ætatem tempore juventutis vel pueritiæ consequi; et convenienter pueris traditur, eo quod, sicut ipse Doctor alio in loco advertit (3), infantis ætas non patitur fictionem, qua effectus Sacramenti in traditione impediatur.

4. Sacramentum *vivorum* est Confirmatio non *primam* conferens gratiam; datur ad *confirmandum* quod invenerit, et ideo sicut non baptizatis non potest conferri, ministrari non debet adultis qui in Dei gratia non sint; curet igitur Parochus, ut peccati mortalis capaces hoc Sacramentum accepturi ad Pœnitentiæ Tribunal prius accedant: præter statum gratiæ, in adultis, tamquam dispositio, rudimentorum fidei requiritur notitia; quapropter volumus, ut animarum curatores, antequam in suis parochiis Confirmatio sit dispensanda, adultos

(1) Part. 2, c. 3, n.º 17. = (2) p. 3, q. 72, a 8 in corp. = (3) 4 Sentent. d. 7, q. 3, a. 2.

ipsam suscepturos præparent iteratis catechesibus, eorum animos ad pietatem excitando, atque in scientia mysteriorum Dei erudiendo, quin ea omittantur quæ ad declarandum spectant hujus sacramenti dignitatem et naturam, characterem indelebilem, quem in anima, sicut Baptismus et Ordo, imprimunt, unde iterari non potest, necnon mysticæ et quidem luculentissimas et mirabiles significationes usus chrismatis, impositionis manus Episcopi, alapæ, quam hic confirmato impingit, aliarumque Confirmationis cæremoniarum.

5. Sicut in Baptismo, etiam in Confirmatione patrinus adhibetur, ut non confirmatum quasi adhuc spiritualiter imbecillum quodammodo sustentet, et Dei exercitûs duci armandum et militem consignandum sistat, ac postea tamquam tyronem in spirituali militia ad pugnam adversus infernales potestates erudiat; unus autem aut una tantum, ejusdem sexus ac ipse confirmandus, debet esse: qui in Baptismo, et in Confirmatione prohibentur esse patrini, et insuper non confirmati (1), qui jam in Baptismo sponsores fuerint, nisi aliud adjuncta suadeant, necnon, ex Pontificali Romano, pater, mater, maritus et uxor confirmandi. Nullus, ex ipso Pontificali, præsentare debet in Confirmatione nisi unum aut duos: attamen, prout Sacra Concilii Congregatio declaravit (2), Episcoporum est judicare, utrum necessitas, de qua Pontificale, aliter suadeat, vi cujus etiam in Confirmationibus, dum parochiarum pastoralis fit visitatio, unus patrinus pro omnibus masculis et una matrina pro omnibus feminis potest deputari.

6. Quoniam ex hoc Sacramento, non secus ac in Baptismo, cognatio contrahitur (3), patrinorum confirmatorumque nomina in libro, ab illo baptizatorum diverso, parochus annotet, etamsi confirmati ad alienam pertineant parochiam, verum separatim ab elencho suorum parochianorum, et

(1) Cap. *In Baptismate* d. 4, de consecratione. = (2) 12 Jul. 1823.
 = (3) C. Trid. sess. 24, c. 2, de refor. *Matrim.*

schedulas cum necessariis annotationibus ad illorum parochos transmittat, qui eas in suis libris consignent.

7. Fructus ita ingens quum ex hujus Sacramenti susceptione fidelibus derivetur, quorum bono ex officio consulere debent Episcopi, nihil mirum, si ipsis tamquam peculiarem eorum curam hanc tempestive fidelibus Sacramentum Confirmationis ministrandi Pius Papa IX proposuerit. Suspensionem, ex Concilio Tridentino (1), ab exercitio Pontificalium incurrit Episcopus, qui in aliena diœcesi illa exercet, inter quæ hujus Sacramenti administratio est annumeranda, vel in personas eidem Ordinario non subjectas; attamen ex communi usu consensus præsumitur ad in propria diœcesi extraneos confirmandum, quod in hac Provincia regulam esse statuimus. Nullus confirmatus discedat, præcipit Pontificale Romanum (2), «nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit»; quamvis enim de essentia Sacramenti non sit, curandum omnino est, ut confirmandi primis intersint orationibus et postremæ benedictioni, et proinde, dum Confirmatio ministratur, oportet fores clausas manere, vel saltem vigilantissime custodiri, ut singuli confirmandi omnibus cæremoniis sint præsentés. Demum, prout in Concilio Provinciali V Mediolanensi fuit statutum, si quis periculose ægrotans, nondumque confirmatus, sacri Chrismatis unctione muniri postulet, Episcopus, modò eo in loco fuerit ubi ille ægrotat, et id absque incommoditate facere possit, illum invisat atque confirmet, ut ad postremum agonem sit roboratus.

(1) Sess. 6, c. 5, de refor. —(2) Par. 1.^o De confirmandis.

TITULUS IV.

De custodia Eucharistiæ.

Benignissimus Dominus ac Redemptor, qua nocte tradebatur, sciens quia venit hora Ejus, quum dilexisset suos, in finem dilexit eos: Apostolis convocatis, ad Pascha celebrandum, quos expetierat Satan, ut cribaret sicut triticum, postquam illos instituit fuitque solatus, extremi amoris extremum signum pandens, accepit panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Eisque, ac, in illis, successoribus suis in Sacerdotio, præcipit hoc ipsum facere in suam commemorationem.

1. Panem et vinum ceu materiam hujus Sacramenti, in quo Corpore et Sanguine Domini spiritualiter aluntur christiani, convenientissime Idem instituit. In eo tamen a ceterorum sacramentorum hujus materia differt, quod nihil suæ substantiæ post formam prolatam remaneat; nam vi verborum Christi conversio fit totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, et totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis Ejus, et vi naturalis concomitantia, qua partes Salvatoris, non amplius morituri, copulantur, et propter hypostaticam divinitatis cum corpore et anima unionem, sub unaquaque specie et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus vere, realiter et substantia-liter continetur (1): duplex autem consecratio fit in hoc Sacramento, quo, tamquam cibo et potu animæ, utendum est,

(1) C. Trid. sess. 13.

ad Passionem Domini magis recolendam, ubi sanguis a corpore fuit divisus.

2. In seligendo panem et vinum, quorum species in Sacramento Eucharistiæ remanent, ea, qua oportet, cura uti debet. Abusus est hostias consecrare quæ a tribus quatuorve mensibus fuerint confectæ (1): recentes sint et, quantum fieri possit, nitidæ et integræ: frequenter renoventur Sacræ Eucharistiæ particulæ, scilicet semel in hebdomada vel alternis saltem hebdomadis (2). De vini qualitate diligenter inquiretur, quum experientia compertum sit quod communiter dividitur, non raro materiam illicitam aut invalidam Sacramenti esse: ei aqua in calice misceatur, sicut Ecclesia præcipit ob rationes a Tridentino allatas (3), in modica tamen quantitate; ideoque, ne plus quam decet in calice effundatur, parvo cochleari jam olim, ut Benedictus XIV notat (4), Sacerdotes utebantur, quem usum Sacra Rituum Congregatio (5) prohibitum non esse declaravit.

3. Illud excellens ac singulare, ait Tridentina Synodus (6), in hoc Sacramento invenitur, quod reliqua tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Hinc, dicente eodem Concilio (7), consuetudō asservandi in Sacrario Sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Non autem, absque indulto pontificio, aut immemorabili consuetudine (8), servari potest, nisi in Ecclesiis Cathedralibus, parochialibus, quasi parochialibus, et Regularium aut Monialium sub clausura viventium. Parochus curet omnino ut perpetuo conserventur, prout Rituale Romanum præcipit (9), aliquot particulæ consecratæ,

(1) S. R. C. 16 Decembr. 1826. =(2) S. C. Epis. 5 April. 1575.
 =(3) S. 22, c. 7. =(4) De Sacr. Miss, l. 3, c. 10. =(5) 6. Febr. 1858.
 =(6) S. 13, c. 3. =(7) S. 13, c. 6. =(8) S. C. C. 27. April. 1700. =
 (9) De Euchar. c. 1, n.º 5.

eo numero, quì usui infirmorum et aliorum fidelium communi sãtis esse possit.

4. Opportunum ducimus in parochorum memoriam vertere, quod Sanctissima Eucharistia in uno tantum altari servanda est populo distribuenda (1), quod diversum esse potest ab altari majori (2), licet regulariter non expediat. Tabernaculum non ad dexteram vel lævam altaris partem, sed in medio reponatur (3), nec sic collocatum ut, verbis sancti Caroli utendo, ad Sacram Eucharistiam depromendam Sacerdoti gradu ligneo opus sit: intus aliquo panno serico decenter contegatur (4), cui æquivalere potest interior auratura (5); etiamsi argento, auro aut alia pretiosa materia sit confectum, usus conopei super ipsum est obligatorius (6), ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexti, coloris albi, vel officio diei convenientis (7). Pyxis aurea sit vel argentea, aut saltem stannea intus deaurata, numquam autem vitrea (8): præter pyxidem cum Sacra Eucharistia operculo clausam et albo velo coopertam, repositam super corporale mundum aut saltem super pallam, nihil in Tabernaculo custodiatur (9), nec, præter crucem, ei superponatur (10), neque in posteriori ejusdem parte (11), vel ante illius ostiolum collocetur (12).

5. Parochus, ad quem privative spectat jus retinendi claves tabernaculi (13), diligenter eas custodiat. In Ecclesiis Monialium a Cappellano servantur (14), et non penes Moniales intra septa Monasterii (15): abusus est omnino tollendus, ut clavis *realis* monumenti, seu capsulæ, ubi feria V in Cœna Domini Eucharistia reponitur, laico quantumvis nobili, tra-

(1) S. R. C. 21 Jul. 1696. =(2) Id. 18 Maj. 1878. =(3) Id. 21 Aug. 1863. =(4) S. C. Episc. 26 Octob. 1575. =(5) S. R. C. 16 Maj. 1871. =(6) Id. 18 Maj. 1878. =(7) Id. 21 Jul. 1855. =(8) Id. 30 Januar. 1880. =(9) S. C. Ep. 3 Maj. 1693. (10) S. R. C. 12 Mart. 1836. =(11) Id. 31 Mart. 1887. =(12) Id. 6 Septb. 1845. =(13) S. C. Ep. 9 Februar. 1751. =(14) S. C. C. 14 Apr. 1725. =(15) S. R. C. 11 Maj. 1878.

datur (1), vel etiam personæ civilem auctoritatem repræsentanti (2).

6. Coram Tabernaculo, in quo Christus reconditur, qui lux vera est (3), quem filii lucis, discipuli Ejus, summo honore prosequi debent, saltem lampas diu noctuque continuo (4) colluceat: parochum, quem in hac officii parte negligentem deprehenderint Episcopi, pro culpæ gravitate puniant. Lampades ex oleo olivarum nutriantur (5): nisi in casu necessitatis, ex prudentia Ordinariorum, minime adhibeatur aliud oleum ex vegetalibus aut petroleum ad illuminandam Ecclesiam (6). Non omissis lampade ex oleo olivarum nutrita et cereis candelis in sacris functionibus super Altari collocandis, «in Ecclesiis adhiberi licet lux electrica ad depellendas tenebras Ecclesiasque splendidius illuminandas, caute tamen ne modus speciem præseferat theatralem» (7). Curabit denique parochus, jubet Romanum Rituale (8), «ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integre, mundaque sint et conserventur».

(1) S. R. C. 7 Decemb. 1844. =(2) Id. 7 Aug. 1880. =(3) Joann. 1, 9. =(4) S. R. C. 22 Aug. 1699. =(5) Id. 9 Jul. 1864. =(6) Id. 20 Mart. 1869. =(7) Id. 4 Jun. 1895. =(8) Tit. 4, c. 1., n.º 6.



TITULUS V.

De Eucharistiæ sumptione.

Amantissimus Redemptor noster non tantum nobiscum esse omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (1) statuit, sed ut sui memoriam colamus et mortem annuntiemus donec venerit ad judicandum, utque resuscitemus in novissimo die (2) et vivamus in æternum (3), seipsum tamquam spiritualem cibum animarum, et antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis et a mortalibus præservemur, nobis ad manducandum tradit, quo fit ut Ipse in nobis maneat et nos in Illo (4).

1. Caveant summopere christiani, ne absque veste nuptiali ad mensam Patrisfamilias accedant (5), aut non lotis pedibus mensæ Domini accumbant (6), unde, panem cœlestem absque debita dispositione sumentes, re optima in sui perniciem abutendo, iudicium sibi manducabunt et bibent (7). Quantumvis contritus sibi videatur, qui peccati mortalis sibimetipsi est conscius, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam non accedat, nisi communicandi aut Missam celebrandi urgeat necessitas, et desit copia confessarii: «quod si necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur» (8). Nisi in mortis periculo aliisve gravissimis causis intervenientibus, consulto Episcopo, opus est, ut a medio noctis antecedentis nihil cibi aut potus communicaturus sumpserit, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum ob ejusdem significationem, ut detur

(1) Math. 28, 20. =(2) Joann. 6, 55. =(3) Ibid. 6, 59. =(4) Ibid. 6, 57. =(5) Math. 22, 12. =(6) Joann. 13, 8. =(7) 1 Cor. 11, 29. =(8) C. Trid. s. 13, cap. 7.

intelligi, ait divus Thomas (1), quod Christus, qui est res hujus Sacramenti, et charitas Ejus debet primo fundari in cordibus nostris. Moneantur a parochis fideles, ut decenti habitu modestiam redolente, mulieres præcipue, ad Augustissimum Sacramentum recipiendum accedant, necnon ea corporis compositione, quæ animi devotionem patefaciat, utque ante Eucharistiam sumendam sese ad pietatem congrua præparatione excitent, quo uberioribus donis ab animarum Sponso cumulentur, et postea per aliquod tempus gratias Deo de tam singulari reddant beneficio.

2. Nisi de sacro Viatico et communionem paschali agatur, quilibet Sacerdos Eucharistiam ministrare potest, non autem in Oratoriis privatis absque Ordinarii licentia. Intra Missam regulariter Communio est dispensanda, quum orationes, quæ post communionem dicuntur, non solum, juxta Rituale Romanum (2), ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent: verumtamen, negari nequit communicatio fidelibus extra Missam (3). Postquam Sacerdos in Missa se communicavit, priusquam adstantibus communionem distribuat, potest (4), et facere commendamus, sermonem ad populum habere ad explicandum divini amoris mysteria. Patena inaurata ad hunc usum tantum destinata, et tabellis ex metallo, uti potest in porrigenda fidelibus sacra communionem loco mappæ aut tobalearum linnearum (5), quæ sumpto corpore Domini deosculari non debet, sicut nec manus Celebrantis antea vel postea (6), nisi hic fuerit Episcopus, quo in casu, etiam extra propriam diœcesim, ejus annulus osculandus est a communicantibus (7). Demum omnia et singula quæ in sacra Liturgia circa modum Eucharistiam administrandi statuuntur, adamussim adimpleantur.

(1) P. 3, q. 80, a. 8. ==(2) Ordo administrandi sacram. comm. 10. ==(3) S. R. C. 7 Decemb. 1844. ==(4) Id. 23 Mart. 1881. ==(5) Id. 17 Sept. 1853. ==(6) Id. 22 Nov. 1659. ==(7) Id. 18 Sept. 1686.

3. Quum non minus spirituali cibo anima, quam naturali corpus indigeat, ad eucharisticum panem frequenter sumendum fideles sunt adhortandi, ante eorundem oculos priscorum christianorum exempla ponendo. Ad schismatis occasionem tollendum, et eorum qui christiano nomine censentur unionem in laboribus pro regni Christi adventu procurandam, per viscera misericordiæ Dei nostri eos, cum Tridentina Synodo (1), hortamur, rogamus et obsecramus paterno affectu, ut «in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiae symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent». Præsenti tempestate, in qua tot periculis obnoxia est castitas, et tot certamina pietas superare debet, panem fortium, vinum germinans virgines, cujus dulcedo ineffabilis est, frequenter sumant fideles ad carnis blandimenta et sæculi illecebras repudiandum. Qua frequentia intra annum unusquisque possit aut debeat communicare, id confessarii, non autem parochi, ut talis, iudicio est relinquendum, qui præ oculis habeat regulas hac de re a sancto Alphonso traditas, illudque divi Thomæ principium (2): «Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare». Denique, moneantur fideles, ut, dum sacramentaliter nequeunt, spiritualiter communicent, voto, ut ait Tridentinum (3), propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, per dilectionem operante, quo fructum ejus et utilitatem sentient.

4. Ex præcepto divino obligantur christiani ad Eucharistiam sumendam, non tantum in mortis periculo, verum etiam sæpius in vita: refrigerante pietatis studio, quo priscis temporibus frequentissime ad sacrum convivium fideles acce-

(1) S. 13, cap. *De usu admir. hujus Sacramen.* —(2) Comm. in 4 Sent. dist. 12, q. 3 a. 1 ad 2. —(3) S. 13, c. 8 *De S. Euch. Sacr.*

debant, opus fuit, ut hujus obligationis tempus et modus ab Ecclesia determinarentur, sicque nunc ex Concilii Tridentini præcepto (1), Lateranensis IV decretum (2) renovantis, omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit saltem semel in anno fideliter sua peccata confiteri debet «et reverenter suscipere ad minus in Paschate Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejusmodi perceptione duxerit abstinendum».

5. Qui tempore Paschatis communicare omittit, quamprimum suæ obligationi satisfaciatur. In propria parœcia communio paschalis sumenda est: peregrini et vagi præceptum adimplent, eo in loco communicando, in quo actu degunt: Rectores domuum educationis, ab Episcopo approbatarum, concedimus ut per se, vel personam delegatam, paschalem communionem suis subditis porrigant. Ab iis qui paschali tempore extra propriam fuerunt parochiam, ad illam revertentibus, receptæ communionis testimonium parochi exposcant. Sacerdotes celebrantes communicare in propria parochia non tenentur: feria autem V Majoris hebdomadæ ecclesiastici omnes, quos legitima causa non impediatur, oportet ut a parochio loci Eucharistiam accipiant. Quum paschale tempus adveniat, parochus fideles moneat de obligatione confitendi et communicandi, et de pœnis adversus hoc sic grave præceptum non adimplentes impositis: censum personarum, quas præceptum communionis tenet, habeant parochi, in quo annotent quolibet signo singulos huic obligationi satisfacientes: elapso tempore paschali, postquam omne adhibuerint studium ut negligentes inducant ad præceptum adimplendum, catalogum conficiant, et custodiant, Episcopo, dum petierit, exhibendam, eorum qui communicare omiserint.

6. Quinam sint *anni discretionis*, ad quos perveniens

(1) S. 13 de Euch. c. 9. = (2) Decret. l. 5, tit. 38, c. 12.

christianus sacram teneatur communionem sumere, Ecclesia non definivit: illud communiter tradunt Doctores non omnem discretionem sufficientem ad in pœnitentiæ Tribunali peccatorum absolutionem suscipiendam satis esse ad assidendum sacræ mensæ, in qua supersubstantialis Angelorum panis omni reverentia tractandus distribuitur: ad hoc necesse est, scribit divus Thomas (1), ut pueri devotionem possint accipere tanti Sacramenti: id autem, juxta Suarezium (2), intra decimum et decimum quartum ætatis annum evenit: sunt attamen aliqui pueri septennes communionē digni. Prima Communio, quæ parentes et universum populum mire ad devotionem excitat, cujusque memoria toto vitæ curriculo ad pie vivendum solet urgere, quo fieri possit apparatu et solemnitate peragatur: repetitis catechesibus, generali confessione et, per aliquot dies, exercitiis spiritualibus præparentur pueri: communionem concio ferventissima præcedat, et pia gratiarum actio subsequatur: maxime expedit ut, hac occasione, intra Missam, vel melius vespere, baptismi promissiones renoventur, gratia perseverantiæ publice exposcatur, et pueri Sacris devoventur Cordibus.

7. Cum his, qui vita creduntur discessuri, *antiqua regula servetur*, præcipiebat Nicænum Concilium (3), videlicet, ut ultimo et necessario viatico non priventur. Si igitur hoc tanto bono, quando postrema cum hoste infernali imminet lucta, aliquem, quod numquam satis illacrimandum, privatum decedere parochi incuria contigerit, in hunc, pro negligentiae gradu, districte animadvertat Episcopus. Periculose infirmi generatim excipiuntur in Concilio Constantiensi (4) a jejunii lege. Pueris in mortis periculo positus haudquaquam ex hoc tantum denegetur communio quod ad primam nondum fuerint admissi, sed omnino volumus, ut Corporis Domini

(1) P. 3, q. 80 a. 9. —(2) Com. in q. 80, p. 3 div. Thom. disp. 70, sect. 1. —(3) Can. 13. —(4) Ses. 13.

viatico reficiantur qui, prout loquitur Benedictus XIV (1), «cibum istum cœlestem et supernum a communi et materiali discernant». Tridentina Synodus (2) eos anathemate ferit qui asserunt non licere ut Eucharistia *honorifice* ad infirmos deferatur: qua igitur adjuncta permittant solemnitate, et populum convocando, sanctum Viaticum ministretur, in ejusque dispensatione præcepta liturgica servantur exactissime.

(1) De Synodo Diœc. l. 7, c. 12, n.º 1. = (2) S. 13, can. 7.



TITULUS VI.

De celebratione Missarum.

Adveniente tempore quo, juxta prophetam Malachiam (1), offerenda erat Dei nomini *oblatio munda*, Christus, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (2), semetipsum obtulit immaculatum Deo (3), panem et vinum consecrando ad sanguinis a corpore suo separationem significandam, in protestationem dominii quod in res omnes habet Deus, vitæ et mortis auctor. Hoc sacrificium, in Paschate institutum in subrogationem immolati judærum agni paschalis, quando novum fœdus seu testamentum condebatur, quod, sicut antiquum (4), dicente Apostolo (5), sacrificio et sanguine dedicati oportuit, ab Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus, in sui commemorationem, offerri præcepit Christus. Unde Apostolus mensam et calicem gentilium sacrificiorum (6) et judæorum altare (7) cum eucharistico sacrificio conferre potuit, cui ministrantes doctores et prophetas antiochenos sanctus Lucas exhibuit (8).

1. Pii Papæ IX Episcopus omnes alloquentis verba illa (9) præ oculis habendo: «Ne intermittatis unquam parochos præsertim aliosque divini verbi præcones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut fidelibus populis tam sancti, tamque admirabilis sacrificii necessitatem, præstantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime atque accuratissime exponant», volumus de sacra Eucharistia, etiam quatenus est Sacrificium,

(1) 1, 11. =(2) Hebr. 5, 6. =(3) Id. 9, 14. =(4) Exod. 24, 8. =(5) Hebr. 9, 17. =(6) 1 Cor. 10. =(7) Hebr. 13. =(8) Act. Apost. 13, 2. =(9) Encycl. *Amantiss. Redempt.* 3 Maj. 1858.

frequenter prædicatores sermonem facere, ut populus excellentiam et mirabiles sanctæ Missæ effectus probe noscendò, omni cum reverentia, devotione, attentioneque eidem assistat, quo incredibilem gratiarum segetem colliget: animarum curatores præsertim iterum atque etiam cum Tridentino (1) præcipimus ut «inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent».

2. Rationem omnium Veteris Legis sacrificiorum continet Missa; ideoque rectissime excommunicantur (2) qui dicunt eam non esse propiciatoriam, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere. Præter fructum qui ex singulis Missis omnibus fidelibus, maxime autem adstantibus et celebranti, contingit, specialem percipit ille pro quo sacrificium applicatur. Pro celebranda autem Missa ad alicujus intentionem, accipere licet stipendium justum, quod nempe, prout Sacra Concilii Congregatio declaravit (3), taxatum fuerit ab Episcopo vel consuetudine, non quasi pretium Missæ, ait Angelicus (4), sed quasi sustentamentum vitæ. Verum prohibemus cum Tridentino (5) importunas atque illiberales elemosynarum exactiones, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe turpi quæstu non longe absunt; atque punire non omitemus quos turpe lucrum, cum fidelium offensione et in augusti sacrificii dignitatis dedecus, in Missis applicandis sectari noverimus; absque Ordinarii licentia onera perpetua Missarum non suscipiantur: earum reductionem vel condonationem, contra certam fundatoris voluntatem, nemo, præter Romanum Pontificem, facere hodie potest (6).

3. Cum, loquente Tridentino (7), omnes, quibus anima-

(1) S. 28, c. 2 de sacrif. Missæ. =(2) C. Trid. s. 22, can. 3. =(3) 25 Nov. 1698. =(4) 4 Sent. dist. 25, q. 3, a. 2, et 2. 2. q. 100 a 2 ad 2. =(5) Ses. 22 decret. *de observandis et evitandis*. =(6) Innocent. XII, Const. *Nuper*. =(7) S. 23, c. 1.

rum cura est commissa, debeant pro ovibus suis sacrificium offerre in dominicis et festis, etiam suppressis (1), Parochus tenetur Missam pro populo applicare, etiamsi a parochia fuerit absens et alium Sacerdotem ad celebrandum in parochia deputaverit (2): quod si legitime impeditus fuerit, adimplementum Missæ pro populo applicandæ alii Sacerdoti committere debet (3). Qui plures parœcias regit, tenetur, sive per se sive per alium, ad tot Missas pro populo celebrandas (4). Ut præter diem Commemorationis omnium defunctorum et Nativitatis Domini, Missam iterare, quod ab Innocentio III prohibitum fuit (5), uno die idem Sacerdos possit, necesse est ut, gravissima causa ex parte populi interveniente (6), pro diebus quibus hic illam audire tenetur (7), licentiam concedat Episcopus: pro secunda autem Missa stipendium recipi non potest (8). Imo qui duas regit parochias, primam et secundam Missam diebus festis pro populo applicare gratis debet, et binaudi facultate carens, altera die in hebdomada pro populo Sacrum litare tenetur (9), sicut et in festis suppressis (10).

4. Episcopis præcipit Concilium Tridentinum (11) populum monere «ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedat». Vel maxime hoc expedire ex eo patet quod Missa parochialis in præfatis diebus pro ipso applicatur populo, atque in illa, ex repetito Concilii Tridentini præcepto (12), sacra eloquia et monita salutis vernacula lingua explanantur, necnon fidelibus denuntiatur quæ festa, jejunia et abstinentiæ sint per hebdomadam observanda, quinam, ut de existentia impedimentorum tuto judicari possit, matrimonium contrahere volunt, et quæ peculiare

(1) S. R. C. 2 Maj. 1867. *Regni Hispan.* —(2) Id. 4 Decemb. 1872. —(3) Id. 22 Jul. 1848. —(4) Id. 24 Jul. 1886. —(5) Decretal. l. 3, tit. 41, c. 3. —(6) S. C. C. 1837. —(7) Id. 23 Jan. 1847. —(8) Id. 15 Febr. 1864. —(9) Id. 9. Maj. 1874. —(10) Id. Maj. 1864. —(11) S. 22 de observandis. —(12) S. 22, c. 8, et sess. 24, c. 4.

preces recitandæ aut misericordiæ opera exercenda, et tandem populus cum suo Pastore adunatus uno ore et spiritu Deum colit: hora convenienti pro populi commoditate parochialis Missa celebretur; post signum campanis factum, tempus sufficiens, ut omnes facile congregentur, relinquatur; et in majoribus saltem festis Missa decantetur, ad quod iterum hæc commendat Synodus, ut nullus ad sacros ordines admittatur, qui in cantu plano apprime non sit institutus, adeo ut et aliquos idoneos in sua parochia instruere possit.

5. Curare debemus Episcopi, ex Concilii Tridentini jussu (1), ut Sacerdotes curam animarum non habentes Missas celebrent «saltem diebus dominicis et festis solemnibus»: qui sine juxta causa, ter vel quater in anno non celebravit, præterquam quod peccat mortaliter, «potest ab Episcopo puniri», decrevit Sacra Concilii Congregatio (2). Hujus Provinciæ Sacerdotes omnes, quibus Christus in sui commemorationem offerre præcepit (3), quique constituuntur ad offerenda sacrificia pro peccatis, ne in vacuum gratiam Dei recepisse dicatur (4), vehementer Synodus in Domino hortatur, ut quotidie, nisi aliquid obstet, sacrum faciant, notissima illa sancti Bonaventuræ (5) verba serio perpendendo: «Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloria, angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, et seipsum medicina et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates».

6. Cum nullus clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda admitti debeat (6), singuli Antistites in suis diœcesibus interdicanent ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare li-

(1) Sess. 23, c. 14, de refor. =(2) Nov. 1696. =(3) 1. Cor. 11. 24. =(4) 2 Cor. 6. 1. =(5) *De præparat, ad Missam, c. 5.* =(6) C. Trid. sess. 23, c. 16.

ceat (1). Qui sacrum facturi, accedunt ad Sion montem et civitatem Dei viventis (2) ad offerendum Filium dilectum in quo Pater æternus sibi bene complacuit (3), ad sacrificandum Agnum, qui dignus est accipere divinitatem, et gloriam et honorem (4), frequenter cum sancto Joanne Chrysostomo (5) considerent quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam quæ hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine rubescentem; animæ sordes, quoniam in multis offendimus omnes (6) et septies cadit justus (7), frequenti confessione purificent; congrua præparatione ad devote celebrandum se excitent; omni reverentia et attentione cum Jesu, Sacerdote magno, holocaustum amoris, cui Angelorum chori adsunt (8), offerant; et deinceps aliquanto de adeo insigni beneficio grates Deo publice persolvere non omittant.

7. Præcepta liturgica exactissime observent celebrantes; neque «alias cæremonias vel preces, quam quæ Missali continentur addere vel recitare præsumant» (9). Loco et tempore a sacris Rubricis præscripto Missa celebretur. Ut in Rubrica Missalis legitur (10), Sacerdos maxime curare debet ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere non possit quæ legit, neque nimis morose, ne audientes tædio afficiat. Si quis Sacerdos, cum gravi erga Sacramentum irreverentia, populi que scandalo, tam celeriter Missam absolvat, ut verba omnia pronuntiasset impossibile existimetur, Episcopus eum, servatis servandis, a celebratione suspendat. Clerico deficiente qui superpelliceo indutus Missæ parochiali inserviat, laicus eligatur pietate et gravitate conspicuus, quem Parochus in illius ministerii functione rite instituat.

(1) Trid. S. 22 Decret. *de observ.* = (2) Hebr. 12, 22. = (3) Math. 17, 5. = (4) Apoc. 5, 12. = (5) Homil. 60 ad pop. antioch. = (6) Jac. 3, 2. = (7) Prov. 24, c. 16. = (8) S. Greg. Mag. Dialog. lib. 4. c. 56. = (9) S. Pius V. Bull. *Quo primum*. = (10) Tit. 16, n.º 2.

TITULUS VII.

De pœnitentiis et remissionibus.

Fragilitatem humanam cognoscens Dominus, præter Baptismum, qui, indelebilem characterem imprimens, iterari non potest, aliud ad peccatorum remissionem Sacramentum instituit, et post illam primam tabulam, qua filii Adam e diluvio universali culpæ evadimus, hanc alteram pœnitentiæ iis omnibus semper tradit, qui e portu salutis egredientes, in peccati profunda iterum merguntur, æterno naufragio obnoxii: diversa itaque est Sacramenti Baptismi et Sacramenti Pœnitentiæ gratia; illa regenerat, hæc sanat; per illam efficimur membra Christi, per hanc saucia Ejus membra redintegramur; illa primario animam ab originali peccato mundat, hæc a culpis actualibus post Baptismum commissis.

4. Sacramentum hoc Christus præcipue instituit (1), quum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (2). Discipuli autem, quos ipse Redemptor jam facultate quæcumque alligandi et solvendi super terram instruxerat (3), sicut et ceteri Sacerdotes, eorum successores, hac potestate recte uti non potuissent, si omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria habetur, non eis declararentur, una cum circumstantiis quæ peccati speciem mutant, sicut nec iudices seculares, incognitis delictis, sententiam de illis dicere et pœnam applicare queunt: medici personam sustinent Sacer-

(1) C. Trid. ses. 14, c. 1. =(2) Joan. 20, 22. =(3) Math. 18, 18.

dots in Sacramento pœnitentiæ administrando, et curare non possunt vulnus quod ignorant.

2. Saltem semel in anno, ex Concilii IV Lateranensis præcepto (1), peccata sacerdoti sunt aperienda; sed doceantur fideles quod non solum in Paschate, sed in mortis etiam articulo aut gravi periculo mortalia confiteri tenentur, et in aliis adjunctis teneri possunt, quodque faciens confessionem voluntarie nullam, non satisfacit præcepto Ecclesiæ (2). Recte et utiliter peccata venialia in confessione aperiuntur (3); et perniciosum est dicere quod non deberet illorum confessio tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones (4). Inducantur, e contra, fideles ad sacrum Tribunal frequentandum, eis saluberrimæ hujusce praxis fructus ostendendo: peccata ipsa jam rite declarata repetere confessione generali utilissimum pluries est, iis præsertim qui perfectioni student et scrupulis non anguntur, vel primam communionem suscepturi sunt, aut stabilem vitæ statum amplexuri: præter casum autem manifestæ necessitatis, confessarius, eos præcipue quorum prima vice peccata audit, nolentes ad confessionem generalem haud adigat.

3. Verum non sufficit peccata revelare in Tribunali Pœnitentiæ, sed opus est de ipsis doleri, quod, legitur apud Gratianum (5), «declarat ipsa dictionis virtus». Hæc contritio, cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjuncta, juxta Tridentini doctrinam (6), hominem Deo reconciliat: de quo frequenter monitos fideles esse volumus, ne morte adventate, dum confessarius deest, actum perfectæ contritionis elicere omittant. Præterea Pœnitentia, ut loquitur Aquinatis Doctor (7), «de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis». Qui igitur

(1) Can. 21 et can. 4. —(2) Alexander VII, prop. 14 damn. —(3) C. Trid. s. 14, c. 5. —(4) Pius VI, Const. *Auctorem fidei* —(5) Decr. dist. 3, de Pœnit. can. 4.—(6) S. 14, c. 4 —(7) P. 3, q. 87, a. 1. ad 1.

dolore de peccatis commissis et proposito iterum ea non committendi carent, absolutionis sunt indigni: non potest ergo absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit; nec habens occasionem peccandi, etsi ore proferat se dolere, et proponat emendationem, dummodo emendationis spes nulla appareat (1).

4. Ante confessionem, ad ejusdem integritatem procurandam, debent pœnitentes diligenter seipsos excutere, et conscientiae suæ sinus et latebras omnes explorare (2). Quod si non satis discussa conscientia accedant, Sacerdos de peccatis, in quæ verisimiliter incidere poterant, interroget, præsertim si rudes fuerint, «diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati» (3): curiosas autem et inutiles interrogationes, præsertim in materia castitatis, evitet: principalia mysteria, et quæ ad Sacramentum rite suscipiendum sunt necessaria, pœnitentes illa ignorantes doceat: de peccatorum gravitate et de istius obligationibus pœnitentem prudenter moneat, non tamen, ordinario, illum reprehendendo, quin omnia peccata fuerit confessus: non satis dispositos disponere omni diligentia curet, et humanissimis verbis indignos dimittat, ut redire non detrectent: nomen complicitis non quærat (4): Constitutiones *Sacramentum* et *Apostolici muneris* Benedicti XIV cognitæ habeat: sigillum confessionis, cujus obligatio nec parvitatem materiæ nec ullam umquam exceptionem admittit, nec directe nec indirecte violet.

5. Tertia pars Pœnitentiæ, ait Eugenius IV in Decreto pro Armeniis, «est satisfactio pro peccatis, secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem et jejunium et eleemosynam». Falsum omnino est, prout ex Sacris

(1) Innoc. XI, prop. 61 et 60 damnat. = (2) C. Trid. s. 14, c. 5. = (3) Cap. *Omnis utriusque* 12 de pœn. et rem. = (4) Benedictus XIV, Bulla *Ad eradicandum*.

Litteris patet, semper cum culpa condonari pœnam; et Dei justitiæ, necnon ipsius clementiæ et nostræ saluti conveniens est ut non eodem modo remittantur peccata per ignorantiam ante Baptismum commissa, et quæ scienter post acceptum Spiritus Sancti donum admittuntur: satisfactio autem sicut ad præteritorum scelerum vindictam et castigationem, ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum imponi debet (1): quantum fieri potest, contrariæ culpæ pœnitentiæ injungantur (2), non autem quæ a pœnitente impleri non posse existimetur: Missas a se celebrandas vel eleemosynas a semetipso distribuendas confessarius haudquaquam imponat; nec facile Missarum stipendia sponte oblata occasione confessionis acceptet.

6. Qualitatem pœnitentis confessarius consideret, ut singulos in via salutis rectius dirigere queat: scrupulorum specialem habeat curam, eo quod multis malis et periculis sunt obnoxii: ad Monialium et piorum pœnitentium conscientiam moderandam, asceticorum mysticorumque libros continua manu verset: pueros, quos etiam sexennes ad confessionem accersere, ut ei assuefiant, præstabit, caute interroget, ne peccare discant, sed diligenter, ne ob verecundiam aut negligentiam sacrilegia committere incipiant, eosque ad actum doloris modo ipsis proprio eliciendum disponat: in mulieribus, junioribus præsertim, audiendis, cautissime procedat, in eas curiose oculos non conjiciat, excesivæ familiaritatis locutionibus non utatur, ægre non ferat si aliquoties ad alios ivisse confessarios cognoscit, earum confessiones, semper in confessionali et per crates excipiendas, post crepusculum vespertinum et ante auroram sine necessitate non audiat (3): erga moribundos et periculose decumbentes omne studium et diligentiam adhibeat, eos solando, contra tentationes præmuniendo, indul-

(1) C. Trid. s. 14, c. 8. —(2) Rit. Rom. tit 3, c. 1. n.° 19 —(3) S. C. Episc. 21 Jul. 1620.

gentias applicando, admonendoque prudenter ut de domesticis rebus disponant.

7. Quoniam iudicii ratio illud exposcit, in Tribunali Pœnitentiæ absolvendi non sunt nisi proprii subditi, nec omnes conscientiæ iudices de omnibus causis sententiam dicere possunt: nullus igitur sacerdos, nisi ab Ordinario loci obtenta licentia, confessiones audire præsumat, vel a casibus Summo Pontifici aut Episcopo reservatis, quos memoriter teneri, vel tabella in confessionali scriptos, oportet, extra mortis articulum vel grave periculum, absque debita facultate absolvere velit, etiamsi pœnitens in impossibilitate versetur Romam personaliter adeundi, nisi in casibus vere (1) urgentioribus, quando scandali aut infamiæ adest periculum (2), aut saltem valde durum est pœnitenti in peccato mortali, donec absolutio obtineatur, permanere (3), sub pœna tamen reincidentiae si absolutus intra mensem per epistolam ad Sanctam Sedem non recurrit: qui vero, licet parochialem curam non habeant, ad confessiones audiendas sunt approbati, ut, etiam non vocati, confessionali, magnis præsertim solemnitatibus, assideant iterum iterumque obsecramus, eorumque in hoc diligentiam et assiduitatem pro posse remunerabimus. Demum eorum parochorum summopere commendamus praxim qui in quadragesima populum omnibus diebus vespere ad Ecclesiam convocant, ut de iis quæ ad Sacramentum rite suscipiendum spectant instruantur.

(1) S. C. R. et Univ. Inquisit. 30 Jun. 1886. =(2) Id. 23 Jun. 1896. =(3) Id. 18 Jun. 1897.

TITULUS VIII.

De sacra unctione extrema.

Amantissimus Dominus ac Redemptor dedit nobis in Baptismo spirituales nativitates, in Confirmatione scutum adversus hostes nostræ salutis, in Eucharistia Corpus et Sanguinem suum ad divino alimento vires reficiendas, et in Pœnitentia vulnerum morborumque omnium nostrorum efficacem medicinam: sicut autem in ingressu progressuque nostræ vitæ salutaribus subsidiis, ita in ejusdem egressu animæ bono prospexit Extremæ Uctionis Sacramento, ab Ipso instituto et a beato Jacobo Apostolo promulgato.

1. Hujus Sacramenti effectus in illis divi Jacobi verbis sunt expressi (1): «Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei»: sanitatem ipsam corporalem restituit, si animæ bono est conveniens; quod si raro hodie Sacram Uctionem suscipientes convalescunt, id ipsorum sæpe vel conferentium modicæ fidei vertendum (2), vel huic adscribendum est quod serius fere semper Sacramentum tribuitur, quando nempe nonnisi per miraculum ægroti consanescere possunt: animam confortat ad extremum agonem cum Satana sustinendum, quando eam mortis advenientis, judicii appropinquantis, vitæ præteritæ criminum et pœnarum æternarum metus conturbat: et peccata mortalia, quorum conscientia non habetur (3) absque culpa, non confessa, venialia, et peccatorum reliquias tollit. Hos

(1) Jacob. 5, 14. =(2) Catech. Rom. p. 2, c. 6, n. 16. =(3) S. Thomas *Contra gentes*, l. 4, c. 73.

effectus populo fideli parochi explanent, ut tantum hoc Sacramentum debita existimatione ab omnibus prosequatur.

2. Solis infirmis, iis præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, hoc Sacramentum, ex Jacobi Apostoli verbis, est conferendum (1); reprobanda autem penitus est praxis non liniendi ægrotos, nisi quando nulla convalescentiæ spes supersit, vel ipse infirmus sensibus ac ratione est destitutus: Parochi vehementer hortentur graviter ægros ut, antequam in extremis sint constituti, sanctam unctionem suscipiant, ne aliter sine illa e vivis discedere contingat, vel eam suscipere absque contritionis actibus, dum sui jam compotes non sunt: Sacerdotes, dum semetipsos periculose ægrotari cognoverint, hoc Sacramento muniri curent, ut exemplo etiam perniciosam eam populi opinionem eradicare satagant, qui illud quasi certum mortis nuncium solet considerare.

3. Ut Sacramentum exeuntium conferatur non sufficit mortis periculum, si hoc ex infirmitate non provenit; ministrandum non est pueris usum rationis non habentibus, sed negari non debet iis qui peccati mortalis et confessionis jam sunt capaces: amentibus non præbeatur, si vel numquam rationis potentes fuerunt, vel aliquid contra reverentiam Sacramenti facturos esse præsumatur: infirmis sensibus et ratione destitutis Sacra Unctio haud negetur, si illam antea petierunt, aut verisimiliter, si possent, petiissent. Quia valetudo corporis et mentis, quæ est effectus hujus Sacramenti, potest amitti postquam fuerit per illud effecta, ideo, scribit divus Thomas (2), ipsum sine sui injuria potest iterari; ad hoc, ut *in aliud simile vitæ discrimen inciderint* fideles tantummodo exigit Tridentinum (3), ac proinde, in dubio utrum perseveret an non eadem ægrotatio, in favorem infirmi judicetur.

(1) C. Trid. De S. Extr. Unc. c. 3. = (2) Supplem. q. 33, a 1. =

(3) S. 14, c. 3.

4. Siquidem hoc Sacramentum, inquit Angelicus (1), perfectæ curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiæ, competit eidem quod multi Sacerdotes intersint; quamvis itaque de essentia Sacramenti non sit ut a pluribus Sacerdotibus administretur (2), quod nec semper antiquitus fiebat, et rectissime Ecclesia Latina disposuit ut Parochus, vel, hoc deficiente, in casu necessitatis alius Presbyter, unus tantummodo, illud conferat, optandum esset ut, juxta id quod in Rituali Romano (3) præscribitur, alii clerici, non legitime impediti, ad assistendum, dum per adjuncta liceret, convocarentur.

5. Ante Extremam Unctionem Sacramenta Confessionis et Eucharistiæ ægrotans, nisi causa rationabilis obstet, suscipiat: postea illum, donec periculum perseveret, parochus frequenter invisat, contra hostis infernalis postremos aggressus eum præmuniendo: per viscera charitatis Domini animarum curatores cohortamur, ut de moribundis maximam sollicitudinem gerant, et Sacerdotes omnes monemus nihil Deo acceptius facere posse, quam ut fideles ad sancte moriendum adjuvent, eis, signo crucis, aqua benedicta, rerum sacrarum aspectu, piis precibus, indulgentiarum applicatione, absolutione frequenti et virtutum actibus, quoadusque animam Deo reddant, assistendo.

6. Etiamsi parochus extra parochialem domum habitet, sanctum infirmorum oleum domi habere non debet (4), nisi in casu magnæ distantiae ab Ecclesia, servando etiam tunc Rubricam quoad honestam et decentem tutamque custodiam (5). Extra casum necessitatis, superpelliceo et stola, non hac tantum, Sacramentum Extremæ Unctionis ministretur (6), neque

(1) *Contra Gentes* 1. 4, c. 73. = (2) *Decretal.* 1. 5, tit. 40, c. 14. = (3) *Ordo ministrandi Sacram. Extr. Unc.* = (4) S. R. C. 16 Decemb. 1826. = (5) *Id.* 31 Augusti 1872. = (6) *Id.* 16 Decemb. 1826.

pennicillo seu virgula argentea utatur (1). Omnia demum ac singula quæ in sacris Rubricis præscribuntur circa custodiam, renovationem et, dum opus fuerit, additionem olei ab Episcopo feria V in Cœna Domini benedicti, et circa rationem infirmum unguendi, atque ad ejus domum oleum sanctum deferendi et referendi ad Ecclesiam, exactissime serventur.

(1) S. R. C. 9 Maj. 1857.



TITULUS IX.

De temporibus ordinationum.

Populi omnes, ad cultum divinitati impendendum, vel ipso naturali rationis lumine illustrati, necessitatem agnoverunt Sacerdotii, cœtus nempe virorum qui rerum sacrarum procurationi intenderent et religionis actibus præessent: apud hebræos quidem consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, populus enim sub ipso legem accepit (1). In Nova autem Lege Sacerdotium esse debere, vel ex eo patet quod in illa Sacrificium Christus instituit, quod Sacerdotium ad offerendum supponit.

1. Quam alta sit Sacerdotii christiani dignitas, humano non potest intellectu dimetiri. Immortalis Deus, cui omnia subsunt, voci Sacerdotis semper paratus est obedire, et quoties verba consecrationis hic pronuntiat, toties ad manus ejus descendit. Pater non judicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio (2), Filius autem, sicut misit eum Pater, ita ipse Sacerdotes mittit, cum potestate universali solvendi atque ligandi. Hæc frequenter recogitent quicumque in sortem Domini vocati mysteriorum Ejus sunt dispensatores, ut suæ dignitatis memores, eam peccatorum maculis et carnalium voluptatum cæno non dehonorent ac sœdent, sed nolint negligere gratiam, quæ est in ipsis per impositionem manuum Episcopi (3), imo eam resuscitent (4).

2. Quo autem dignius Sacerdotii ministerium exerceri posset, consentaneum erat ut plures, alii aliis superiores, mi-

(1) Hebr. 7, 11. =(2) Joann. 5. 22. =(3) 1 Tim., 4, 14. =(4) 2 Tim. 1, 6.

nistrorum ordines essent, qui eidem ex officio deservirent. Ad hoc, inquit sanctus Gregorius Magnus (1), divinæ dispensationis provisio gradus diversos et ordines constituit distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus, et potiores minoribus caritatem impenderent, concors fieret ex diversitate connexio «et recte officiorum generetur administratio singulorum». Sicut sapientia Dei in rerum mundanarum, ita in Ecclesiasticorum ordinum mirabili dispositione fulget, et quemadmodum in omnibus, magnus est Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus (2), et in domibus ejus cognoscetur (3). Ecclesiastica itaque Hierarchia cum Cœlesti magnam habet similitudinem; unde divus Bernardus, «Ne vilem, scribebat ad Eugenium Papam (4), reputes formam hanc, quia in terris est: Deum habet auctorem, et de cœlo ducit originem».

3. Ut ordinatorum vocatio ad superiorem Ordinem probaretur, et in ordine suscepto peritia cognosci posset, inter unum et alterum, etiam minorum (5), aliquod temporis spatium interjacere debet, quod ad sacros Ordines suscipiendos et inter horum singulorum susceptionem minus anno non sit. Cum suis tamen subditis dispensare poterit Prælati interstitia, et quidem inter singulos minores Ordines, et inter Subdiaconatum ac Diaconatum, si magis ipsi *expedire videatur* (6), inter vero quatuor Ordines minores ac Subdiaconatum (7), et inter Diaconatum ac Presbyteratum (8), si *necessitas aut Ecclesiæ utilitas* iudicio Episcopi illud exposcit.

4. Cum nullus clericum parochiæ alienæ, præter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, aiebat Bonifacius VIII, «superior intelligitur in hoc casu Episcopus de cujus diœcesi est is qui ad ordines promoveri desiderat oriundus, seu in

(1) L. 4 Epist. 52. =(2) Ps. 95, 4. =(3) Id. 47, 4. =(4) *De consideratione*, l. 3. =(5) *C. in singulis*, 2, dist. 77. =(6) *C. Trid. s. 23, c. 13.* =(7) *Idem*, c. 11. =(8) *Idem* c. 14.

cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem» (4). Conditiones requisitæ, ut singulis his de causis, et ratione etiam triennalis commensalitatæ (2), Episcopus sit alicujus legitimus ordinator, expositæ inveniuntur in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII (3). Juxta consuetudinem vigentem, præcipit Synodus, ut nullus in hac Provincia aliquem ratione domicilii sibi subditum ad Ordines promoveat, litteras excardinationis ab Episcopo originis datas non habentem.

-
- (1) Decret. *cum nullus*, §, *de temporibus ordinationum* in 6. =
(2) C. Trid. s. 23, c. 9, *De refor.* = (3) Novembris 1694.



TITULUS X.

De ætate et qualitate præficiendorum.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro (1); nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron (2): Dominus est qui eligit (3), et mittit operarios in messem suam (4). Quoniam vero sunt quidam, de quibus illud Domini per Jeremiam (5) asseri potest: «non mittebam prophetas, et ipsi currebant», ideo curandum est ab Episcopis ut manus cito nemini imponant, ne communicent peccatis alienis (6).

1. Digna omnino est quæ non semel perpendatur Decretalis *Cum sit ars artium regimen animarum* (7), in qua Innocentius III Episcopis districte præcipit ut ordinandos diligenter erudiri curent; «quoniam si de cetero rudes et ignaros ordinare præsumperint, et ordinatores et ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. Satius enim est, in ordinatione maxime sacerdotum, paucos bonos, quam multos malos habere ministros». Quæ ergo circa singulos Ordines suscipientium scientiam sacri Canones constituunt, adamussim custodiantur; et ordinandorum examinatores, ut officii sui gravitatis memores sint, iterum ac centies hæc Burgensis monet Synodus.

2. Sciant Episcopi, verba sunt Tridentinæ Synodi (8), debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Sanctus Tomas docet (9) mortale crimen committere quicumque scienter ordinat indignum, «quasi Summo Domino infidelis, et præcipue cum hoc in de-

(1) Joann. 10, 1. =(2) Hebr. 5, 4. =(3) Joann. 15, 16. =(4) Luc. 10, 2. =(5) 23, 21. =(6) 1 Tim. 5, 22. =(7) l. 1, tit. 14, c. 14. =(8) S. 23, c. 12. =(9) 4 Septent. d. 4, q. 1 a 3.

trimentum Ecclesiæ vergat et honoris divini, qui per bonos ministros promovetur».

3. Quum tam excellens sanctitas, prout luce clarius apparet, in iis qui ad sacros Ordines sint assumendi requiratur, idcirco in Concilio Carthaginensi III (1) jam erat statutum ut «nullus ordinetur, nisi probatus fuerit». Ad hanc probationem faciendam sapientissime decrevit Tridentina Synodus (2) ut, ad majores Ordines promoveri volentes, «per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquireat»; atque ut, præterea, (3) ipse Episcopus, Sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum, evocatorum ad civitatem, personam, doctrinam, et institutionem diligenter investiget et examinet. Ex hac ordinandorum probationis necessitate, alia deducitur ratio pro eorum in Seminarium ingressu, quem Burgensis Synodus, Turonensis Concilii III (4) et Romani (5) vestigiis inhærens, injungit.

4. Proclamatio nominum candidatorum ad sacros Ordines in eorum Ecclesia parochiali fiat, et in Ecclesiis locorum ubi per notabile tempus fuerint commorati: cum his qui Diaconatum aut Presbyterarum suscipere volunt, si post denuntiationes ad Subdiaconatum in Seminario permanserunt, Episcopus dispensare poterit. Adveniente ordinationum tempore, Parochi hortentur fideles ad poscendum a Deo, ut Episcopo ostendat quos elegerit (6), et gratia sua eos qui ordinandi fuerint, ad sancta ministeria rite obeunda, adjuvet, simulque moneant de patefaciendi obligatione quidquid candidatos in-

(1) C. 22. =(2) S. 23, c. 5. =(3) Id. c. 7. =(4) Can. 12. =(5) Ann. 1725, tit. 30, c. 2. =(6) Act. Apost. 1, 24.

dignos faciat Ordines suscipiendi: ipsi Parochi serio recognoscant quam grave piaculum admitterent, si causa sunt testimonio suo cur in sanctuario Dei collocentur qui lapis offensionis populo fideli sint futuri. Episcopi vero secretam capiant a personis fide dignis informationem, Parochorum attestations non contenti.

5. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione incurrunt ordinantes alienum subditum absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus (1). Pro tempore tamen quo quis militiæ nomen dedit, benigne Sancta Sedes declaravit (2) sufficere litteras testimoniales Vicarii generalis castrensis.

6. Cum, verba sunt Tridentini (3), «non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore, mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere», qui beneficium ecclesiasticum non possident, ad sacros Ordines ne promoveantur, nisi patrimonium obtinentes, quod eis ad vitam honestam satis sit. Qui titulum ordinationis amiserit, ab Episcopo compellatur ad alterius tituli subrogationem (4): nullus titulo falso aut ficto ordinari præsumat: diligenter examinetur utrum patrimonium constituendum condiciones omnes requisitas habeat: dispensatio autem tituli ordinationis a Sancta Sede haud efflagitetur, nisi de iis agatur qui vere sufficientes sint ad beneficium cito obtinendum. Instituta votorum simplicium non possunt sine indulto speciali alumnis suis dimissoriales litteras ad Ordines concedere, nec eos promovere ad Ordinem sacrum titulo mensæ communis vel alio simili (5).

(1) Const. *Apostolicæ Sedis*, de suspens. n. 4. = (2) 31 Januar. 1895. = (3) S. 21, c. 2, de refor. = (4) S. C. de Pr. Fide, 1 Septemb. 1856, = (5) S. C. Epis. et Reg. 12 Febr. 1894.

7. Quæ circa exercitia spiritualia ab ordinandis faciendâ, circa adscriptionem cujuslibet ordinati alicui Ecclesiæ, et circa Ordinis suscepti, ad altiozem obtinendum, exercitium a Summis Pontificibus sunt constituta, ad unguem observari iterum commendat Synodus, sicut ea quæ Tridentinum Concilium decrevit de ordinandorum ætate (1), de Sacramenti Confirmationis susceptione (2), et de immunitate ab irregularitate et censuris (3).

8. Nostra demum facimus hæc Concilii Provincialis Veneti primi (4) verba: «In ea profecto incidimus miseraunda tempora, in iisque versamur rerum augustiis, quæ Sacerdotum numerum quotidie magis imminuunt. Quare hæc Synodus Parochos omnes hortatur et obsecrat in Domino ut si quem puerum agnoverint qui vocationis indicia præseferat, paternam illius curam gerant, omnem adhibeant sollicitudinem ut pietatem foveat, obstacula demum removeve satagant, quæ non raro ex familiæ egestate oriuntur, quin studiorum curriculum ingredi possit. Noverint autem se operam non perdidisse, si quis postea clericali militiæ nomen non dederit, nam et meritum sibi apud Deum comparabunt ex opere quod præstiterunt, et bonos ac utiles in statu laicali viros educabunt, nam adolescens juxta viam suam, etiam cum se nuerit non recedet ab ea (Prov. 22, 6)».

(1) S. 23, c. 12. =(2) Ib. c. 4. =(3) S. 14, c. 7 de refor. et ceter. =(4) Ed. 1863, pag. 99.



TITULUS XI.

De sponsalibus et matrimoniis.

Matrimonium a Deo in Paradiso institutum, Christus approbavit, ad pristinum statum restituit, ad rationem Sacramenti evexit, perfectiorem significationem, nempe Verbi cum natura humana et Christi cum Ecclesia, ei dedit, et gratiam adjunxit quæ, ait Tridentinum (1), «naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret».

1. Quoniam, advertente Catechismo Romano (2), optime datur intelligi «quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles matrimonii sanctitatem cognitam haberent et inviolatam servarent», doceant Parochi Sacramentum hoc magnum esse (3), ad quod tamen, prout decet, recipiendum requiritur recta intentio et status gratiæ; moneant parentes, ut nimiam familiaritatem inter eos qui matrimonio ad invicem copulari volunt haud permittant; de conjugatorum obligationibus, prudenter tamen, sermonem ad populum habeant.

2. Valida sunt matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta, neque hi rata vel irrita ea facere possunt (4). Parochus tamen, sicut parentes, ut filiorum libertatem non tollant, ita filios, ut sine gravi causa a parentum voluntate non recedant, moneat, eo vel magis quod leges civiles severe puniunt contrahentes absque parentum vel consensu vel consilio. De causis matrimoniorum infaustorum

(1) S. 24, doct. de Sacr. Matrim. = (2) P. 2, c. 8, n. 1. = (3) Ephes. 5. 32. = (4) C. Trid. s. 24, c. 1 de reform

opportune, ea qua par est prudentia, Sacerdotes prædicent; conjugii autem negotiandis non se immisceant, nec facile consilium hac de re præbeant: a conviviis nuptialibus omne turpe aut indecens abesse suadeant Parochi, ipsos autem sine gravi causa assistere interdiciamus.

3. Matrimonium præcedere potest ejusdem promissio, quæ, si deliberata, mutua, signo sensibili expressa, et inter personas ad contrahendum habiles fuerit, sub gravi atque ex justitia obligat. Moneantur tamen fideles, ad plura damna vitanda, in Hispania jure consuetudinario, ab Apostolica Sede approbato (1), sponsalia vim non habere, si absque publica scriptura contrahuntur: hoc autem requisitum habentia, licet contrarium in novissimo Codice Civili (2) sit statutum, valida esse Sacra Concilii Congregatio declaravit (3).

4. Rudimenta fidei scire debent sponsi, quoniam de ea deinde filios suos docere tenentur; nec Matrimonio jugendi sunt si Parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit marem seu fæminam quæ ad salutem necessaria sunt ignorare: quapropter, infert Benedictus XIV (4), «vix tantæ ac tam luctuosæ ignorantie locum relinquet Episcopus, qui pastores animarum admoneat officii sui, et huic si desint, negligentie repetat pœnas». Si autem contrahentes, ante matrimonii denuntiationes, coram Parochò se sistere nolunt, vel necessaria discere negligunt, res ad Ordinarium deferatur, ut de ea quod decet provideat: rudes vero præcipua nostræ fidei mysteria a Parochis ante matrimonium doceantur, nam ab isto, quod in officium naturæ est institutum, sine eorum culpa non sunt arcendi.

5. Concilii Tridentini (5) vestigiis insistendo, prohibemus in eadem domo habitare qui invicem matrimonialiter uniri decreverunt, et Parochum conabitantes conjugare, quin hac

(1) S. C. C. 31 Januar. 1880. —(2) Art. 43. —(3) 11 Apr. 1891. —

(4) Encycl. 42. —(5) S. 24, c. 1 de ref. Matr.

de re ab Ordinario provisum fuerit. Admoneantur præterea conjuges, cum Rituali Romano (1) statuimus, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant.

6. Matrimonium in facie Ecclesiæ seu in Ecclesia maxime celebrari decet. Haud tamen vetitum est locorum Ordinariis ut, si nullum immineat periculum ac laudabiles concurrant causæ, illud celebrare quandoque pro sua prudentia permittant in privatis Oratoriis, in quibus Sacrum fieri valeat, cum celebratione etiam Missæ nuptialis (2). Prohibitum est sponsis benedicendis pallium seu baldachinum parari (3): benedictio autem annuli numquam omittenda, ad quod si sponsi illum, saltem ex metallo infimi valoris, sibi non provideant, unum Parochus semper secum teneat, qui ipsis pro tali benedictione rite explenda tradatur (4). Præ oculis habeatur hodie (5), quamvis aliud decretum fuerit a S. C. Propagandæ Fidei (6) et in Rituale Romano (7), benedictionem nuptialem impertiendam esse, etiamsi petatur postquam conjuges diu jam in matrimonio vixerint, atque etiam si mulier vidua sit, dummodo benedictionem in aliis nuptiis non acceperit.

(1) Tit. 7, c. 1 n. 17. =(2) S. R. C. 31 Aug. 1872, Barchinon.=
(3) Id. 25 Febr. 1606. =(4) Id. 4 Maj. 1882. =(5) S. R. et Un. Inq. 3
Aug. 1881. =(6) 21 Sept. 1843. =(7) De Sacr. Matr., n. 14 et 15.

TITULUS XII.

De Matrimonii impedimentis.

Omnibus gentibus Matrimonium a religione moderari oportere insita fuit opinio. Christi autem Ecclesia, qui leges et impedimenta pro Matrimonio sancivit (1), potestatem de hac re ab Ipso traditam et ab Apostolis exercitam (2) explicuit, scriptorum omnium catholicorum plausu; siquidem de fundamento vitæ christianæ et de negotio æternæ saluti non indifferenti agitur, necnon de contractu naturali, cujus legum Ecclesia interpret est, atque de Sacramento, cujus dispensatio, ideoque præfixio conditionum, sub quibus accipi debet, ad ipsam jure divino pertinet.

1. Ecclesia, quæ jure proprio, non ex consensu Principum (3), potest constituere impedimenta Matrimonium dirimentia atque in iis constituendis non erravit (4), potest et in ipsis dispensare, nam ejusdem est tollere, cujus est condere. Adde quod omnis lex, sicut interpretatione, ita et relaxatione nonnumquam indigit, ut finis a legislatore intentus obtineatur: ad hoc, quum ordinatio rationis lex sit, et casus omnes particulares prævidere nequeat, æquitas et justitia quandoque exposcere possunt ut ab ea solvatur. Quoniam vero quædam sunt impedimenta, quæ Ecclesia vel non valet vel non solet dispensare, Parochas de his populum monitum habeat, ne illos, inter quos impedimenta non dispensabilia existunt, spes teneat, quæ eos forte alliciat ad peccandum, matrimonialiter inter se conjungendi.

2. In Matrimonii contrahendis ut sine causa impedi-

(1) Math. 5 et 19; Marc. 10; Luc. 16. (2) = 1 Cor. 7, 10. = (3) Pius VI, Bulla *Auctorem fidei*, prop. 60. = (4) C. Trid. s. 24, can. 4.

mentorū dispensatio haud concederetur sancivit Tridentinum (1), quemadmodum de omnibus legibus sapienter decrevit (2). Caveant igitur tam Parochi quam contrahentes, ne ad dispensationem petendam causa allegetur, quæ reapse non existat; nam si illa fuerit motiva seu finalis, nulla erit dispensatio, quæ sub tacita conditione, *si preces veritate nitantur*, semper conceditur. Quænam autem sint causæ sufficientes, instructione Sacræ Congregationis de Propaganda Fide (3) exponitur.

3. Quoniam pro comperto habemus non raro verum statum fortunæ a contrahentibus haud exponi, Parochus eos moneat de obligatione verum aperiendi, et de gravi peccato quod admittent, si præsertim, cum pauperes non sint, in forma pauperum dispensationem obtinent, et tam illorum quam testium declaratione non contentus, ejusdem veritatem diligenter inquireat. Taxam pecuniariam juxta impedimenti publici naturam et oratorum conditionem doceantur fideles nequaquam pretium esse dispensationis, sed stipendium laboris officialium his negotiis intentorum, et eleemosynam in opera pia impendendam, quæ ad hoc imponitur, ut disciplinæ læsæ quodammodo fiat reparatio, atque ut rariora deveniant Matrimonia inter consanguineos et affines, quæ justis de causis Ecclesia detestatur.

4. Nihil in dispensationis supplicatione omittatur eorum quæ necessario exponenda sunt: dispensationes matrimoniales, «etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio per eam facilius impetrandi dispensationem, reticita fuerit (4), sunt validæ»: ab infando autem incestus facinore ut fideles deterreantur adlaboret Parochus, atque ne nimiam familiaritatem cognati Matrimonio copulari volentes habeant, sedulam operam navet.

(1) S. 24, c. 5 de reform. Matrim. —(2) S. 25, c. 18 de refor. —
(3) 9 Maj. 1877. —(4) Decret. Leon. P. XIII, 25 Jun. 1885.

5. Invalidum declaravit Concilium Tridentinum (1) Matrimonium eorum «qui aliter quam præsentè Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus» illud contrahere attentant; Parochum domicilii vel quasi domicilii eum esse de quo loquitur Tridentinum pluries declaratum fuit, præsertim in practica et sapientissima Instructione a Sancto Officio hac super re edita (2). Qui duo habet domicilia, vel domicilium et quasi domicilium, ab alterutrius Parocho conjungi potest, et Matrimonium valet, sive ab sponsæ sive ab sponsi Parocho celebretur (3). Servetur tamen consuetudo, ut Matrimonium a Parocho mulieris benedicatur: si justa causa sit cur in sponsi domicilio debeat celebrari, alterius Parochi exposcatur licentia.

6. Solemnnes nuptias celebrari «ab Adventu D. N. J. C. usque in diem Epiphaniæ, et a feria IV Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive» (4) prohibuit Tridentina Synodus: hæc autem prohibitio intelligi tantum debet de Missa pro Sponsis, ac de precibus pro nubentium benedictione in Missali possitis (5): tunc nuptiæ celebrantur sine solemnitate (6): possunt autem sponsi assistere Missæ de tempore, quæ pro ipsis applicare valet, absque vero ulla commemoratione ex Missa *pro Sponsis* desumpta (7). Nemo tamen tempore clauso sponso privatim conjugere audeat, quin veniam ab Ordinario exquirat (8).

7. Præter Matrimonia in quibus impedimentorum dispensatio a Sancta Sede est postulanda, sunt alia queis Parochus assistere non debet absque Ordinarii licentia, ut eorum qui in aliena diocesi, vel per tempus notabile, saltem alteruter, commorati fuerunt, vel matrimonialiter copulari desi-

(1) S. 24, c. 1 de refor. Matrim. = (2) 7 Jun. 1867. = (3) S. C. C. 1573. = (4) S. 24, c. 10 de refor. Matrim. = (5) S. R. C. 14 Aug. 1858. = (6) Id. 33 Jun. 1853. = (7) Id. 31 Aug. 1839. = (8) Id. 25 Sep. 1875.

derant; vagorum, seu incertam habentium sedem, quos ad Matrimonium haud facile recipiendos Tridentina monet Synodus (1); et conjugia quæ per procuratorem, juxta Decretalem *Procurator* (2) Bonifacii VIII, celebrentur. Si alteruter contrahentium ad aliam pertinet diœcesim, vel ibidem nupsit, minime ad Matrimonium concedatur licentia absque authentico de statu libero testimonio (3).

8. Benignitas Domini nostri Leonis XIII Episcopis facultatem fecit (4) ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos dispensandi, quando non suppetit tempus recurrenti ad Sanctam Sedem, super impedimentis, quantumvis publicis, Matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro Presbyteratus Ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente; quam facultatem postea declaratum fuit (5) Ordinarios subdelegare posse pro casibus, in quibus desit tempus ad ipsos recurrenti et periculum sit in mora.

(1) S. 24, c. 7 de reform. Matrim. =(2) Sext. Decret. l. 1, tit. 19, c. ult. =(3) Instruct. S. Inquisit. approb. a Clem. X, 21 Aug. 1670. =(4) S. C. R. et U. Inquisit. 25 Jun. 1885. =(5) Id. 20 Febr. 1888.



TITULUS XIII.

De clandestina desponsatione.

Quo impedimenta Matrimonii, si adsint, facilius detegantur, Concilium Tridentinum (1), Lateranensis IV (2) vestigiis inhærens, sapientissime jussit ut, «antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum». Sacerdos Matrimoniis assistens absque præviis denuntiationibus «per triennium ab officio suspendatur»: contrahentibus vero «condigna pœnitentia injungatur»: soboles autem, si Matrimonium ob latens impedimentum fuerit invalidum, «prorsus illegitima censeatur» (3).

1. Quoniam bannorum finis est detectio impedimentorum Matrimonii, quemadmodum, si ita oportuerit, legi possent extra Missarum solemnias, quando populi concursus frequentior esset (4), sic, occurrentibus tribus diebus festis immediatis, ut non in omnibus Matrimonium publicetur expedit; præcipimus, eadem de causa, ut, sine Ordinarii licentia, Matrimonium non celebretur, nisi integro die transacto post ultimam denuntiationem, quam postremam esse populo indicetur: et cum Rituali Romano (5) jubemus proclamationes repetendas, si infra duos menses Matrimonium non contrahitur, nisi aliter Episcopo videatur.

2. Si contrahentes, vel eorum alter, habent diversa do-

(1) S. 24, c. 1 de refor. Matr. = (2) C. 51. = (3) Decretal. l. 4. tit. 3, de clandest. desponsat., c. 3. = (4) S. C. C. 20 Sept. 1828. = (5) De Sac. Matrim. n. 11.

micilia, in his fiant proclamationes. Nisi per quinque annos ante Matrimonium nupturientes in parochia fuerint commorati, proclamandi sunt omnibus in locis ubi per sex saltem menses habitaverunt, atque in loco originis, si ab illo discesserunt in ætate capaci contrahendi Matrimonium vel impedimenta. Ordinarii vero, si ita præstare judicaverint, denuntiationes, quoad aliqua loca, poterunt supplere per Parochorum testimonium et per sponsorum aliorumque legitimam atque juratam attestationem. Quando in alia parochia banna legenda sint, Parochus Matrimonio non intersit, nisi de ipsorum publicatione et nullo subsequuto impedimento fidem facientes litteras acceperit.

3. Ordinariorum prudentiæ et judicio relinquit Tridentina Synodus (1) «ut prædictæ denuntiationes remittantur». Quando ex diversis diœcesibus sint sponsi, ab utroque Episcopo obtinenda est dispensatio. In denuntiationum dispensatione, præsertim si omnes remittuntur, ad quod, dicente Benedicto XIV (2), non *obvia quævis et vulgaris causa* satis est, diligenter simul inquiratur de impedimentorum existentia. Minime licet Parocho in proclamationibus dispensare; Matrimonium autem absque illis posset celebrare, si vera nuptiarum necessitas urgeret, et tempus recurrenti ad Ordinarium deficeret.

4. Parum profecto prodesset banna publicari, si fideles non tenerentur revelare quæ noverint impedimenta: moneantur ergo de gravi obligatione ea patefaciendi, etiamsi sub secreto et sub jurejurando illud servandi ipsa cognoverint, aut ab omnibus ignorentur, eo vel magis quod unius depositio, debitis munita conditionibus, ad Matrimonium impediendum sufficere posset (3). Ut autem Matrimonii impedimenta rite

(1) S. 24, decret. de refor. Matrim. —(2) Const. *Satis Nobis*. —
(3) Cap. *Super eo* 22 de testibus et attestat.; et cap. *Præterea* 12 de sponsal.

intelligantur, de iisdem Parochus opportune et prudenter faciliq̄ sermone populum instruat.

5. Nec satis habeant Parochi connubium celebrandum denuntiari juxta formam a Tridentino statutam: ipsi nihilominus, præcipiebat in Lateranensi Concilio Innocentius III, «investigent utrum aliquod impedimentum obsistat». Moneant imprimis ipsos contrahentes de nullitate Matrimonii cum impedimento dirimenti attentati, et de gravis peccati reatu quo tenerentur, si impedimentum occultum ab illis cognitum haud manifestant: præterea parochiales libros et personas gravitate et ætate conspicuas consulant, nisi aliunde liquido constet nupturientes haud esse propinquos.

6. Tamquam clandestinum, ideoque irritum, haberi non debet Matrimonium absque proclamationibus coram Parocho et testibus celebratum; imo valeret, si Parochus et testes, quid agatur advertendo, per vim aut dolum adhiberentur, ut coram iisdem matrimonialis contractus fieret. Gravissime autem peccarent qui sic contrahere præsumerent, et ab Episcopo condigne puniri deberent.

7. Matrimonium *secretum* seu *conscientiæ*, quod omnis proclamationibus, coram Parocho solum et duobus testibus, ceteris insciis, contrahitur, cujusque inscriptio in libro fit apud diœcesanam curiam cautissime asservando, haudquaquam celebretur sine Ordinarii permissu, qui tamen, stante Benedicto XIV in Constitutione *Satis vobis* (1), concedi non debet nisi de nupturientium statu libero ceterisque de jure requisitis constet, et causa «gravis, urgens et urgentissima» intercedat. Sic vero contrahentes a Parocho moneantur de obligatione prospiciendi bono prolis et de hujus baptismate, infra mensem a die nativitatis, Episcopum certiolem faciendi.

8. Denique cum sanctæ memoriæ Pio IX Papa (2) erro-

(1) 9 nov. 1741. =(2) Encycl. *Ad Apostolicæ*.

rem eorum damnatus qui asserunt Tridentini formam sub infirmitatis pœna non obligari, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit, hac nova forma interveniente, Matrimonium valere.



TITULUS XIV.

De divortiis.

Jure naturæ Matrimonii vinculum est indissolubile (1). Firmitatem nexus matrimonialis ab Adamo pronuntiatam, cum dixit (2): «Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una», his verbis Jesus Christus confirmavit (3): «Quod ergo Deus conjunxit homo non separet», conjugium ad suum primævum statum redigens, non lege nova condita, ait Benedictus XIV (4), «sed dumtaxat sublata veteri indulgentia, seu dispensatione super prædicta indissolubilitate concessa».

1. Damnamus itaque cum Sancta Ecclesia (5) errorem eorum qui, cum detrimento educationis proles et damno, per sæpe, mulieris repudiata, Matrimonii dissolubilitatem tuentur. Quanti autem materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere, scribit Leo Papa XIII in plane mirabili Constitutione *Arcanum* (6): «Eorum enim caussa fiunt maritalia fœdera mutabilia, extenuatur mutua benevolentia, infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur, tuitioni atque institutioni liberorum nocetur, dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio, discordiarum inter familias semina sparguntur, minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur».

(1) Pius IX, Syll. prop. 67. =(2) Genes. 2, 23-4. =(3) Math. 19, 6. =(4) Const. *Apostolic. Minist.* 10 Sept. 1747. =(5) C. Trid. s. 24, can. 5 et 7. =(6) 10 Febr. 1880.

2. Utut inter christianos Matrimonium rite initum, nisi nondum consummato solemnibus religionis professio alterius conjugum subsequatur (1), sola morte dissolvitur, attamen ejus nullitas declarari potest si ob defectum consensus, aut formæ præscriptæ, vel ob existentiam impedimenti dirimentis, ab initio vim non habuit. Etsi autem de impedimento Matrimonium antecedente conjuges certi sint, non quoad habitationem separentur propria auctoritate; sed res ad ecclesiasticum judicem deferatur, qui eorum separationem pro tempore decernet, et, quamquam de notorio impedimento agatur, processum semper conficiet juxta formam judiciorum ordinariam, licet aliter in Decretali *Dispendiosam* statuatur, cum omnibus eorum solemnitatibus generalibus et cum iis quæ speciatim quoad has causas instituit Benedictus XIV in Bulla *Dei miseratione* (2); in favorem autem Matrimonii jam contracti semper præsumatur.

3. Ratione vinculi matrimonialis simul cohabitare tenentur conjuges. Ecclesia verò non errat, quum ob multas causas separationem quoad torum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit (3). Quoniam autem de re publica agitur, quæ ad externam gubernationem pertinet, et de contractu, cujus implementum in societatis bonum tantopere influit, conjugum quoad habitationem separatio, auctoritate Judicis, nempe ecclesiastici, ad quem solum præterea causæ omnes matrimoniales spectant (4), ordinario fieri debet.

4. Multa, ut patet, solent ex his divortiis profluere mala, tum quoad ipsos conjuges, tum quoad prolem, tum quoad propinquos, tum quoad proximos, quibus offensionem est frequenter hujusmodi separatio, tum quoad societatem, cui ex communi et pacifica sponsorum vita plura obveniunt bona:

(1) C. Trid. s. 24. can. 6. =(2) An. 1741. =(3) C. Trid. s. 24. can. 8. =(4) Idem, can. 12.

curet itaque Parochus, quantum zelus et prudentia suggerant, ut a divortio petendo conjuges amoveat, operam dando ut inter se reconcilientur, vel causa, quæ ad separationem juridice decernendam posset esse sufficiens, tollatur.

5. Re autem ad Tribunal delata, causa canonica divortii claro in lumine posita, Vicarius generalis sponsorum separationem decernat, ne deinde, ex injusta denegatione vel retardatione, majora mala proveniant. Constituimus tamen, ut, juxta praxim in hispanis Tribunalibus ecclesiasticis laudabiliter vigentem, nullus in causis divortii oblati libellus admittatur, quin de facto, quo ipse innititur, per testium depositionem vel aliter constet: hanc ipsam judicii præparationem actus conciliationis coram Judice municipii intentatus prout de more præcedat commendamus: denique, priusquam Judex sententiam pronuntiet, dictamen Fiscalis, saltem si ambo conjuges separationem poscunt, audire non omittat.



TITULUS XV.

De matrimonio civili dicto.

Sacramentum novæ Legis quum sit Matrimonium (1), quælibet conjunctio viri et mulieris in religione christiana, si Sacramentum non est, Matrimonii nomen non meretur (2), et cujusque etiam civilis legis vi fiat, appellari debet cum Pio IX (3) *turpis et exitialis concubinatus*. Sicut Ecclesia semper agnovit penes Statum facultatem determinandi effectus civiles Matrimonii (4), sic soli Ecclesiæ agnosci debet potestas constituendi quidquid ad nexum ipsum matrimoniale spectat.

1. Nec dicatur Sacramentum in Matrimonio a contractu distingui, et nihil aliud esse quam proprietatem ei extrinsecus additam, ideoque sicut et in ceteris contractibus civilibus civilem societatem posse constituere conditiones et leges, quæ sub pœna nullitatis in Matrimonio sint servandæ: recte hæc doctrina dammata est (5); nam, dicente Leone XIII (6), «Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit Matrimonium; Matrimonium est ipse contractus, si modo sit factus jure. Huc accedit quod ob hanc causam Matrimonium est Sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia: istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summæ conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est nisi ipsum Matrimonium».

(1) C. Trid. s. 24, can. 1. = (2) Syll. p. 73. = (3) Alloc. 27 Apr. 1852. = (4) S. Thomas 4 Sentent. dist. 34, q. 1, art. 1, et *Contra Gentes* cap. 78. = (5) Syll. prop. 66. = (6) Encycl. *De Matrimonio christiano*.

2. In Hispania matrimonium civile a legibus permittitur iis tantummodo qui catholici non sint (1), nec coram municipali Iudice conjungi possunt præter ostendentes ad Ecclesiæ catholicæ gremium haud pertinere (2). Itaque catholici in nostra patria matrimonium quod *civile* audit contrahere præsumentes, non solum pœnas adversus publicos concubinarios impositas incurrunt (3), sed etiam habendi sunt ceu apostatæ. Hoc ut intelligat populus, adnitantur Pastores, eumque moneant de excommunicatione Romano Pontifici speciali modo reservata (4) qua apostasia plectitur.

3. Quatenus nihil aliud quam turpissimus et scandalosus concubinatus est matrimonium civile, prono alveo fluit impedimentum affinitatis ex illo, sicut ex alia quavis illicita conjunctione proveniens, usque ad secundum tantum gradum protrahi: si consummatum non fuerit, etiamsi sponsalia de futuro contrahere intendatur, publicæ honestatis impedimentum haud producit (5).

4. Matrimonio civili juncti haudquaquam admittantur ut patrini; a piis confraternitatibus expellantur; Sacramenta eis, utpote publicis peccatoribus, denegentur; neque in cœmeterio catholico, nisi cum Ecclesia reconciliati, sepeliantur: filii autem eorum nec Ordines sacros nec beneficia accipere debent.

5. Benedictio post partum, quam a Parocho (6) mulieres, ad exemplum Dei Genitricis, accipere, etiamsi proles, vel sine baptismo, mortua fuerit (7), pium est ac laudabile, minime iis impertiatur quæ ex contubernio improprie dicto *matrimonio civili* sobolem susceperint (8).

(1) Cod. civ. art. 42. =(2) R. O. 27 Febr. 1875. =(3) C. Trid. s. 24, cap. 8 de ref. Matrim., et Sixtus V. Bull. *Ad compescendum* 1576. =(4) Bull. *Apostolicæ Sedis*, n. 1. =(5) Leo XIII. decr. 17 Mart. 1879. =(6) S. R. C. 10. Decembr. 1703. =(7) Id. 12 Sept. 1857. =(8) Id. 18 Jun. 1859.

6. Quoniam, aliis omissis rationibus, pro explorato habemus nonnullos Judices municipales, ut fideles a Matrimonio canonico revocent, conjugia coram se civiliter celebrari curant, non servatis quæ juxta ipsum jus civile essent servanda, statuimus, ut Parochus, simul atque deprehenderit apud plebem suam tale scandalum datum fuisse, rem minutatim ad Ordinarii notitiam deferat: prohibemus autem, ne absque ipsius permissu eos in facie Ecclesiæ conjungat qui civiliter sunt conjuncti, sive inter se, sive etiam cum alia persona Matrimonium canonicum contrahere velint, quod, in secundo etiam casu, celebrans non ideo pœnam civilem incurrit.

7. Dum civiliter conjuncti Matrimonium christianum inire cupiant, necesse ut ante omnia a cohabitatione abstineant, et crimen suum confitendo absolutionem a censuris petant: hæc a Vicario generali vel ejus delegato impartiri non debet, quin junctione civili innodati coram ipso et Notario ecclesiastico, vel ejus vices gerente, atque uno vel duobus testibus fidem catholicam profiteantur et jurent, et testimonium de actis suscribant, vel, si nesciunt, signo crucis muniant et pœnitentiam salutarem acceptent: formula abjurætionis et absolutionis ab excommunicatione adhibenda, ea est, juxta responsionem editam (1) a Sacra Congregatione Universalis Inquisitionis, quæ legitur apud librum Patris Mach, cui titulus *Tesoro del Sacerdote* (2).

8. Quamvis iniquum et absurdum sit leges effectus civiles Matrimonio canonico haud agnoscere nisi in registis civilibus inscribatur (3), expedit ut Parochus Matrimonio non assistat, quin prius municipalem judicem contrahentes certiore fecerint, ut interesse possit, hoc solo tamen fine (4) ut quæ illic aguntur in libro suo Matrimoniorum tutius ac citius

(1) 21 Mart. 1896. =(2) Pag. 821, ed. 10. =(3) Cod. civ. art. 77. =(4) Id. art. 77.

describere queat: Parochus qui aliter egerit, non ideo a lege civili mulctatur; puniuntur autem conjuges, nisi in articulo mortis Matrimonium contrahatur, et tempus non suppetat iudicem monendi (1).

9. Licet adversus omne jus fasque, in Codice justitiæ militaris (2) pœna statuitur pro Parocho qui quemlibet contra ipsius præscriptiones Matrimonio conjungit: ut nuptias eorum qui militiæ fuere adscripti Parochus benedicere queat, usus est itaque, et nihil amplius requiritur ut testimonium de statu libero, ut ajunt, a ducibus expeditum ei tradatur (3).

10. Tametsi nulla pœna Sacerdoti secus agenti a Tribunalibus civilibus infligi possit, propria auctoritate Parochus minime negligat, quin potius a contrahentibus sciri et servari curet civiles dispositiones sub pœna statutas (4) circa consilium et consensum parentum, circa conjugem viduam, circa tutores et alia quæ in posterum a Guberniis forte condantur, et non sint ab Ecclesia prohibita: quamvis enim Matrimonium canonicum eundem valorem habeat, sive servantur, sive omitantur legum civilium præscripta, hæc, modo ab Ecclesia haud vetentur, custodiantur oportet, tum ob conflictu inter ambas potestates cavenda, tum, prout in Instructione a Sacra Pœnitentiaria (5) edita legitur, «ad contrahentium vexationes pœnasque vitandas», tum, sicuti in Encyclica *Arcanum* Leo XIII monet, «ne quid liberis detrimenti afferatur».

(1) Cod. civ. art. 78. =(2) Art. 293. =(3) R. O. 9 Mart. 1891.
=(4) Cod. pœn. 483 -94. =(5) 15 Jan. 1866.

TITULUS XVI.

De Indulgentiis.

Sicuti in omni recte ordinata natione publicus thesaurus constituitur, unde eorum qui in majori versantur inopia necessitatibus subveniatur, ita et in Ecclesiæ providentissima institutione est Thesaurus quidam, materiali non indigens loco, ubi asservantur investigabiles divitiæ Christi (1), abundantes divitiæ gratiæ ipsius (2), non habentis necesse prius pro suis delictis sacrificium offerre, cum fuerit innocens, impollutus (3), queis, ut illos honoraret, accedere voluit Deus passiones sanctorum, quibus dignus non erat mundus (4), quique omnia sustinendo propter electos (5), et gaudento in passionibus pro fidelibus (6), et filiis thesaurizando (7), vel satisfactione, ut sine labe concepta Virgo, non indiguerunt, vel cum Job (8) dicere poterant: utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera; quasi arena maris hæc gravior appareret.

1. Quem quidem thesaurum, ad Archiepiscopum Tarraconensem Clemens VI scribebat (9), « non in sudario repositum, non in agro absconditum », salubriter dispensare voluit Christus Apostolorum eorumque successorum ministerio, queis claves regni cælorum et potestatem universa solvendi commisit, quosque illico dona ex eodem pro fidelibus hausisse perspicuum est (10). Ad autem errores hac super re in populo grassantes

(1) Ephes. 3, 8. =(2) Idem 1, 7. =(3) Hebr. 7, 26. =(4) Id. 11, 38. =(5) 2 Tim. 2, 10. =(6) Colos. 1, 24. =(7) 2 Cor. 12, 14. =(8) Job, 6, 2-3. =(9) Extravag. Comm. 1. 5, tit. 9, c. 2. =(10) 2 Cor. 2, 6,

deterrendos, doctrinam orthodoxam de Indulgentiis eidem tradere Pastores non omittant, ut sciant universi indulgentias saltem pro vivis lucrari haud posse in statu peccati mortalis; culpam ipsas non remittere, sed tantum pœnam temporalem, quæ post culpæ et pœnæ æternæ remissionem, ut plurimum, remanet luenda; satisfactiones peccatorum haud excludere, quin etiam eas supponere, quatenus in illarum supplementum conceduntur; nec consequi posse, quin opera injuncta impleantur; illarumque usum pietatem augere, animum solari, ad veram pietatem conducere, et multis de causis christiano populo maxime salutarem esse.

2. Cum potestas conferendi indulgentias non in destructionem sed in ædificationem Ecclesiæ data fuerit, hujusque Prælati dispensatores sint mysteriorum Dei, cujus sanctissimæ voluntati, ut boni ministri, morem genere debent, hæ remissiones seu relaxationes «ex propriis et rationabilibus causis» (1) sunt faciendæ; «quia per indiscretas et superfluas indulgentias..... et claves Ecclesiæ contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio enervatur» (2); unde sacrosancta Tridentina Synodus (3) in iisdem concedendis moderationem adhiberi cupiebat, juxta veterem et probatam Ecclesiæ consuetudinem, «ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur».

3. Meminerint animarum curatores in Constitutione Apostolica Sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ *De prohibitione et censura librorum* (4) universis interdici indulgentias apocryphas et a Sancta Sede proscriptas vel revocatas quomodo-cumque divulgari; juberi ut quæ hujusmodi divulgatæ jam fuerint, de manibus fidelium auferantur; vetarique ne indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessionem continentur, absque competentis auctoritatis publicentur licentia: ideoque omni molimine satagant

(1) Clemens VI, Bull. *Unigenitus Dei Filius*. —(2) Decret. 1. 5, tit. 38, c. 14. —(3) S. 25 decr. de *Indulgentiis*. —(4) C. 6 n.º 16 -17.

ut id genus opuscula inter plebes sibi commissas haud diffundantur, de Ecclesiæ hac prohibitione fideles monendo.

4. Indulgentias a Sancta Sede largitas aliasque spirituales gratias ab Ordinariis locorum publicari statuit Tridentina Synodus (1). Indulgentiæ *Urbi et Orbi* concessæ lucrari possunt, quin ab Ordinariis promulgentur (2). Nemo indulgentias et facultates a Romano Pontifice sibi donatas typis mandet, antequam Episcopus eas recognoscat (3). Qui facultatem ab Apostolica Sede obtineat erigendi stationes *Via-Crucis*, eam exhibeat Ordinario (4).

5. Quæstum facientes ex Indulgentiis, eodem modo quo in Constitutione *Quam plenum* sancti Pii V (5), in Constitutione *Apostolicæ Sedis* Pii IX (6) excommunicationis censura plectuntur Romano Pontifici reservata. Prohibitum est sæpe a Sacra Indulgentiarum Congregatione venalia prostare numismata, rosaria aliaque hujusmodi benedicta: qui vero objecta, quibus adnexæ sunt indulgentiæ, propter has majori pretio venderet, gravissimum simoniæ peccatum committeret, et indulgentiæ ab emente non lucrarentur: imo hæc amittuntur, si res donantur, quoties non dentur immediate vel mediate a persona facultatem habente eas distribuendi (7); vel si aliquod quocumque titulo requiratur aut accipiatur (8).

6. Hæc præ oculis semper habeant agri Domini cultores, ut nobiscum alacriter adlaborent ad zizania eradicanda, quæ inimicus homo superseminavit, ad tollendos nempe abusos, quos avaritia, ignorantia, superstitio, et novitatum cupiditas indulgentiarum occasione induxerint. Si autem, quod nec cogitare volumus, aliquis Sacerdos cœlestes hos thesauros in proprii temporalis lucri materiam et causam converterit, sciat, præter dominicam ultionem, severissime a nobis esse puniendum.

(1) S. 21 c. 9. =(2) S. C. Indulg. 1 Jul. 1839. =(3) Id. 12 Decemb. 1840. =(4) Id. 6 Febr. 1844. =(5) Parag. 1 et 14. =(6) N. 11. =(7) S. C. Indulg. 10 Jan. 1839. =(8) 16 Jul. 1887.

TITULUS XVII.

De sacramentalibus.

Ad instar Sacramentorum, in hoc tamen ab illis diversa, quod nec a Christo instituta fuerint, neque *ex opere operato*, ut loquuntur theologi, effectum sortiantur, ad Dei cultum et populi spiritualem utilitatem, nomine *Sacramentalium*, quædam cærimoniarum, benedictiones, exercitia devota et res sacræ adhibentur, quibus prout decet utendo, fovetur pietas, pœna peccatis debita remittitur, beneficia temporalia, si animæ conveniunt, obtinentur, et veniales culpæ tolluntur, in quantum, ait divus Thomas (1), sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, aut cum aliquo motu reverentiæ in Deum, ac res divinas.

1. Ritus aspergendi aqua benedicta populum restringitur ad dies dominicos (2), et præscriptus tantum est ante Missam conventualem, quando hæc celebratur cum cantu et ministris (3). Volumus tamen, ut laudabilis consuetudo, ubi sit, servetur populum ante Missam parochialem conspergendi, juxta rubricas ad id præceptas.

2. Secundum antiquissimum et mysticis significationibus plenum morem, aqua benedicta asservetur in vase lapideo, nitido ac mundo, intra Ecclesiam, prope fores, ut fideles ingrediendo atque in egressu, digitis ablutis, signo crucis adversus satanæ insidias se muniant: aqua hæc lustralis frequenter renovetur, veteri in sacrario effusa; si deesse prævidetur, et benedictio commode peragi nequit, non benedicta

(1) P. 3, q. 87, a. 3. =(2) S. R. C. 31 Jul. 1665. =(3) Id. 9 Decemb. 1878.

adjiciatur, in minori semper quantitate: loveatur consuetudo aquam benedictam Sabbato Sancto et in vigilia Pentecostes ad domus deferendi: commendetur a Parochis fideles eam in cubiculis habere, ut ipsa, quemadmodum vult Rituale Romanum (1), «quotidie ac sæpius adspergi possint».

3. Sacramentalium nomine veniunt etiam esculenta a Sacerdotibus benedicta, ut a laicis manducentur. Disciplinæ antiquæ consonat panem diebus dominicis ad offertorium Missæ parochialis a fidelibus, alternis vicibus, deferri, a Sacerdote benedicendum, ut, Sacro finito, in Ecclesiæ porticu populo distribuatur: abusus, qui hac occasione forte irreperint, Parochus tollat, minime vero ipsam consuetudinem. Hortentur pariter fideles ad non omittendam benedictionem ciborum, nec post refectionem actionem gratiarum: exemplo autem sint ipsi Sacerdotes.

4. Curet Parochus feria IV post quinquagesimam, coram eo se sistere fideles, ut illorum capita cineribus benedictis adspergantur; commendetque ut ad proprias domos deferant ramos in Dominica Palmarum, et cereos in die Purificationis Dei Genitricis benedictos, eosque qui feria V in Cæna Domini coram Sanctissimo Sacramento fuere accensi.

5. Doceantur fideles qua de causa campanæ benedicuntur, ut in usus indignos haud adhibeantur. Piissimum est, et vel maxime Burgensis commendat Synodus, ut mane, meridie et vespere pulsantur campanæ, quarum sonitu excitati fideles Beatissimam Virginem salutent, innumerabiles sic indulgentias lucrando, necnon sub primam noctis horam ad populum de fundendis pro defunctis precibus monendum: servetur etiam quod de, ad campanæ sonitum, passionis dominicæ memoria singulis feriis VI recolenda Benedictus XIV jussit (2).

6. Indubium est exorcismos quemlibet possessum aut

(1) Tit. 8, c. 2. —(2) Const. *Ad passionis* ann. 1740.

obsessum liberare a dæmone, vel saltem hujus vexationes minuere: quoniam tamen plerique qui a populo tamquam energumeni habentur, vel naturalem infirmitatem patiuntur, vel ad pravos fines decipere volunt, vel nonnisi dubia possessionis signa ostendunt, cumque in diabolo interrogando et puellis exorcizandis non pauca intercedere possint pericula, vetamus, sub pœna suspensionis *ipso facto* incurrendæ, ne ullus Sacerdos, absque sui Episcopi speciali licentia, modo ab Ecclesia instituto, sacris obtestationibus dæmoni imperet ut a corpore alicujus personæ exeat.

7. Omni Sacerdoti licet, juxta formam in Rituali præscriptam, pueros benedicere, et adultos ægrotantes, et lintamina pro ægrotis, et mulierem prægnantem in periculis partus, et pecora atque jumenta, necnon animalia infirma: oportet etiam, ad repellendam tempestatem, quæ in Rituali Romano leguntur peragere. Vitetur autem quidquid Sacerdotum gravitati et sanctitati Religionis minus consonum fuerit, aut erroneas vulgi de dæmonum et lamiarum potestate opinioniones alere conspiciatur. Si quis autem clericus benedictionibus Ecclesiæ ad quæstum captandum abutatur, vel eas adhibeat, absque debita facultate aut delegatione, quæ in Missali et Rituali Romano Episcopo aut Parochis reservantur, sine merita punitione haud evadat.

8. Quoniam cuncta nobis Redemptor per crucem acquisivit, crux, omnium benedictionum instrumentum, in singulis adhiberi consequens erat: moneantur etiam fideles ut Crucifixi imaginem reverenter domi habeant, utque signum crucis, quæ est veluti christianorum tessera, ad ipsius honorem, eorumque, per invocationem meritorum Christi, utilitatem frequenter usurpent.

TITULUS XVIII.

De ecclesiis ædificandis vel reparandis.

Ad divina celebranda mysteria et cœleste exposcendum auxilium quædam loca speciali ritu dedicari, rationi quam maxime est consentaneum, et apud omnes gentes quovis tempore magnificentissima, pro populi facultatibus, exstructa fuisse fana rite liquet.

1. Templâ tamen exstruere absque Episcopi consensu non licet, prout jam in Concilio II Bracarenâ (1) statutum fuerat, ubi additur Antistitem Ecclesiâ dedicare haud debere «nisi antea dotem et obsequium ipsius, per donationem chartulæ confirmatum, accipiat».

2 Præter itaque expressam Episcopi licentiam, requiritur ad Ecclesiæ ædificationem ut congrua ipsi assignetur dos, redditus nempe sufficientes et stabiles pro ejusdem fabrica, cultu et ministris, dicente Concilio Aureliensi: «Nemo Ecclesiâ ædificet antequam Episcopus... præfinit... quæ ad luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia custodum sufficiat».

3. «Nulla Ecclesiâ in præjudicium est alterius construenda» (2); ideoque «omnino providendum est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam non perdant» (3). Eadem de causa, dum de monastica Ecclesiâ fundanda agatur, examinet Ordinarius utrum, juxta pontificia decreta (4), ob proximitatem aut alia adjuncta specialia,

(1) Ann. 572. =(2) Decretal. l. 5, tit. 32, c. 1. =(3) Decr. caus. 16. q. 1., can. 44. =(4) Clemen. VIII, *Quoniam ad Instituta*, 23 Jul. 1603; Gregorius XV. *Cum alias*, 17 Aug. 1622.

præjudicium juribus ceterorum monasteriorum sit allatura.

4. Si tamen «ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt» (1), invitis etiam Parochis et «sublato apellationis obstaculo» (2), auditis antiquæ parochiæ Rectore, Capitulo et Promotore Fiscali, nova ab Episcopo parochialis Ecclesia erigi potest, servatis quæ de jure servari debent.

5 In Ecclesiarum constructione, quarum delineationem Episcopo semper exhiberi ad ejus obtinendam approbationem volumus, illa architecturæ dispositio adhibeatur, quæ arti propriæ christianæ et ecclesiasticæ traditioni magis congruat: locus, quantum fieri queat, eligatur editus, apertus atque a profanis ædificationibus remotus.

6. Nihil in sacris ædibus mutetur aut instauretur, inconsulto Episcopo: modus instaurationis ab eo, consultatis, si opus fuerit, viris architectonices christianæ peritis, præfixus, absque ulla mutatione exsequutioni mandetur: ne propriis quidem aut piæ personæ sumptibus antiquam fabricam, sub ipsius profectus colore, innovare audeant Parochi sine Prælati licentia: hic vero si quempiam rectorem parochialem causam esse invenerit cur in sacris ædificationibus aliquid in artis vel historiæ damnum fiat, sic in eum animadvertat, ut ceteris exemplo esse possit.

7. Ecclesiarum rectores de ipsis summam curam habeant: singulis annis earumdem inspectionem generalem fieri provideant, ut tegulæ ruptæ reponantur, et cetera quæ reparatione indigeant reparentur: solerter invigilent, ne si, quæ instauranda sunt, illico haud notantur, ob illorum incuriam nonnisi magno negotio et majoribus expensis refici postea queant.

(1) C. Trid. s. 21, c. 4. ==(2) Decretal. 1. 3, t. *De ecclesiis ædificandis*, c. 3.

8. Oratoria publica sine licentia Episcopi non erigantur, quam tamen concedi inhibemus, quin pro eorumdem conservatione sufficientes redditus secunda cautione constituentur. In Oratoriis privatis Missam celebrare absque pontificio indulto non licet: caveant autem Episcopi, quos Sancta Sedes consuere solet, ne harum facultatum concessione difficilis populo, ob Sacerdotum paucitatem, auditio Missæ in festis de præcepto reddatur, aut parochialibus functionibus assistentia imminuatur notabiliter; curentque, visitationi enim episcopali subjacent, ut omnia in illis juxta sacram Liturgiam et conditiones indulti ordinentur. Demum moneantur a Parocho fideles, eos tantum in privatis Oratoriis ecclesiastico præcepto audiendi Missam satisfacere queis in Brevis concessionis Oratorii permittitur.



TITULUS XIX.

De immunitate ecclesiarum.

Localis immunitas ecclesiastica non tantum jus asyli complectitur, sed prohibitionem etiam justissimam, ne in Ecclesia actus profani exercentur, «quia obsequiis divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda» (1).

1. «Cessent in Ecclesiis negotiationes, et præcipue nundinarum» (2). Præ oculis habeatur exemplum Christi, qui eiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit (3). Nec ipsa objecta cultui divino aut fidelium devotioni insertientia intra Ecclesiam vendantur: interdicimus etiam ne res sub hasta ponantur in porticu Ecclesiæ, vel ipsius januæ aut parietibus publica edicta profana, aut de quibuslibet venditionibus annuntiationes affigantur.

2. Non sæcularia dumtaxat judicia in Ecclesiis vetantur (4); sed «quæcumque possunt turbare officium, sint prorsus extranea» (5). Rectissime igitur a civili auctoritate (6) prohibitum fuit in templis electiones procuratorum comitialium peragi. «Oratorium hoc sit quod dicitur» (7), et in eo «præter orandi et psallendi cultum penitus nihil agatur».

3. Ecclesia polluta ob causas in Jure prefixas, Missa in ea non celebretur, nisi in casu necessitatis et remoto scandalo: verum tamen per Missæ celebrationem Ecclesia non

(1) Decretat. l. 3, t. de immunitate Ecclesiarum, cap. *Ecclesia*.

=(2) Sex. Decret. 3, t. 23, c. 2. =(3) Math. 21, 12. =(4) Decretal. l. 3, t. 49, c. 5. =(5) Cap. *deccet* de immun. in 6°. =(6) R. O. Minist. Govern. an. 1889, 13 Decembris. =(7) Can. *Oratorium*, dist. 42.



potest dici reconciliata (1). Si violata Ecclesia fuerit consecrata, reconcilietur ab Episcopo; sin autem simpliciter benedicta, a quolibet Sacerdote, non tamen absque delegatione Prælati (2). Si in ea cum scandalo actus sacrilegi aut indecentiæ notabilis locum habuerint, Episcopus consulatur utrum reconciliatio expediat. Missa non celebretur super altare in quo fractus sit tumulus ubi conduntur sacræ reliquiæ (3), neque in Ecclesia execrata, absque nova vel consecratione vel benedictione. Contra id quod communiter docebatur, declaratum fuit a Sancta Sede consecrationem aut benedictionem templum non amittere, tametsi omnis parietum crusta seu inscrutatio simul auferatur (4), aut earum facies interna perpoliatur et cooperiatur *stucco* (5).

4. Quoniam domus Dei domus orationis vocatur (6), quam decet sanctitudo, ne ubi «peccatorum est venia postulanda, peccandi detur occasio, aut deprehendatur peccata committi» (7), a Pastoribus doceantur fideles qua religiosa veneratione sacra templa sint frequentanda, ut ibidem maneat, dicebat Pius IX (8), «mente tantum in Deum erecta, serio meditates hic Dei Filium, Deum et Hominem, in majestatis throno assidere; hic homines per regenerationis lavacrum ab originali culpa expiari, et per poenitentiam Deo reconciliari, ac sacra synaxi refici; hic indulgentias consequi, ac salutari doctrina imbui et erudiri; hic a Deo supplicum preces exaudiri». Commendetur etiam ut caput detegant fideles transeundo coram janua Ecclesiarum, in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur.

5. Omni studio enitantur Parochi ut a domu Dei «seculares omnes actiones, vana atque profana colloquia, deam-

(1) S. R. C. 16 Aug. 1634. =(2) Id. 6 Feb. 1608. =(3) Id. 23 Sept. 1848. =(4) Id. 5 Maj. 1882. et 11 Jan. 1894. =(5) Id. 16 Jan. 1886. =(6) Luc. 19, 46. =(7) Greg. X in C. Lugd. =(8) Hom. in consecr. Basil. S. P. 10 Decemb. 1854.

bulationes, strepitus, clamores arceant» (1). Quantum possibile sit, viri seorsim a mulieribus consistant: cum ornatu et vestibus immodestis hæ non intersint: abusus, qui in nocte Nativitatis Domini atque in officiis vespertinis Majoris Hebdomadæ alicubi obtinent, necessaria adhibita prudentia tolerantur.

6. Non solum fideles doceantur quomodo, juxta Summorum Pontificum, præsertim autem sancti Pii V (2), constitutiones, coram Jesu-Christo, vere et realiter in tabernaculo commoranti, se gerere debent, sed Sacerdotum exemplo discant quantum venerationis sacra loca mereantur. Domus Dei decorem diligentes (3), et honorem Ejus zelantes, nihil Parochi faciant quod populi christiani venerationem erga eam minuere possit. Curent ut omnia munda sint et nitida, ut debito tempore dealbentur parietes mundenturve, si dealbatio, sicuti pluries in insignibus templis accidit, non fuerit conveniens, et pavementum scopis everratur, atque ut splendide, pro posse, templa ornentur, non autem modo theatri.

7. Sacra ornamenta, in quorum colore, materia et figura præscriptiones liturgicæ exactissime observentur, curet Parochus ut opportune renoventur aut reficiantur: ecclesiasticam supellectilem, juxta sacras Rubricas habendam, reverenter tractet, atque secure custodiat, providendo ut sacristiæ et Ecclesiæ fenestræ, nisi altæ admodum fuerint, clatris muniantur, et fores solidis claudantur seris; res autem pretiosiores, si prudens timor est ne a latronibus auferantur, domi omni cum cautela debet asservare: cum, denique, parochiæ possessionem capiat, omnium ad Ecclesiam pertinentium inventarium subscribat.

8. Quemadmodum Veteris Legis (4), sic Novi Testamenti Sacerdotes, utpote filii Regis Regum, debent, prout

(1) C. Trid. s. 22. *De obs. et vit.* = (2). C. *Cum primum* et C. *Deo Maximo*. = (3) Ps. 25, 8. = (4) 1 Esdr. 7, 24.

ipse arguebat Salvator (1), immunes esse a vectigalibus quoad bona Ecclesiæ, quæ societas est a civili independens: exinde ab ipsa temporali potestate (2) declarantur perpetuo et omnino exempta a tributis templa, cæmeteria, monasteria, seminaria, hospitia, domus parochiales, necnon (3) horti et viridaria destinata templorum servitio aut recreationi ministrorum Ecclesiæ, sive quæ hæc possidet, sive, prout ex textibus legalibus deduci declaratum fuit a Gubernii delegatis, quæ in posterum acquirat.

(1) Math. 17, 24. —(2) R. D. 24 Jan. 1894, a. 2. —(3) R. D. 30 Sept. 1885, a. 5.



TITULUS XX.

De bonis Ecclesiæ.

Christi Ecclesiam, quæ societas perfecta est, atque a Statu independens, bona tum mobilia, tum immobilia, ad finem suum in terris assequendum necessaria, acquirere et retinere posse, sicut religiosæ omnes antiquæ societates possederunt, ex ratione, Scriptura, traditione, et præscriptione ipsa evincitur.

1. Injustitiæ ac sacrilegii rei sunt honorum ecclesiasticorum raptores; atque excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata mulctantur «usurpantes, aut seques-trantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes» (1), excommunicationem autem generali modo ipsi Christi Vicario reservatam incurrunt usurpantes bona locorum piorum (2): cui ex Tridentino (3) censuræ subjacent ementes ab usurpatoribus bona ecclesiastica usurpata, et census aut alia jura ecclesiastica sine Ecclesiæ licentia redimentes (4).

2. Cum non pauci sint in hac Provincia qui bona Ecclesiastica emerunt non servatis quæ in solemnî Sanctam Sedem inter et Hispanicum Gubernium Conventione statuta fuerunt, de pœnis adversus bonorum Ecclesiæ usurpatores populus opportune a Pastoribus edoceatur: nec sine magno dolore conspicimus a pluribus pro nihilo haberi pia onera, quibus bona sua gravantur: hos confesarii de scelere quo necem animabus suis inferunt, moneant: Parochi autem, quos,

(1) Bull. *Apostolicæ Sedis*, n. 11. =(2) Id. n. 20. =(3) S. 22, c. 11 de refor. =(4) S. Officium. 8 Jul. 1874, et R. Pœnitentiaria 1875.

libris et instrumentis archivii parochialis inspectis, et aliis fidem facientibus informationibus captis, Ecclesiae debitores invenerint, prudenter hortentur ut, vel obligationi suae satisfaciant, vel pia onera coram diocesana curia, unica ad id (1) ab ipsa auctoritate civili (2) declarata competenti, redimant, quod ni fecerint, Episcopo denuntientur, ut, mediis omnibus adhibitis, Ecclesiae jura tueantur.

3. Cappellaniarum vacantium bona ab Ordinario administrari debent (3), eorumque reditus nonnisi ad ipsarum dotationem pertinent (4). Venditio bonorum cappellaniarum, auctoritate privata quomodocumque fiat, irrita est, etiamsi in Regesto civili inscribatur (5). In unaquaque diocesi persona idonea aut commissio designetur, quae non tantum de piorum onerum redemptione et commutatione bonorum cappellaniarum provideat, sed haec inique detenta e manibus usurpatorum abducere curet, nullis juridicis mediis parcendo.

4. Sine Apostolicae Sedis consensu, justa causa intercedente, sub poenis a jure statutis (6), res Ecclesiae immobiles et mobiles pretiosae, quae servari possint, non alienentur, nec donentur, nec permutentur, nec ultra triennium locentur (7). Quoad res exigui valoris licentia Ordinarii exposcatur, juxta consuetudinem aut regulas in singulis diocesisibus vigentes: omnino autem inhibemus ne res artis antiquae ad Ecclesias, monasteria, aut hospitalia pertinentes clerici vendant, etiamsi tamquam nullius pretii eas aestiment, inconsulto Episcopo: aliter agentes, sine indulgentia puniantur.

5. Parochiales domus, quas parocæiarum Rectores habitare tenentur, in singulis haberi permaxime cupit praesens

(1) Convent. 24 Jul. 1867, a 7 et 8. =(2) R. O. 17 Jul. 1888; Sent. Trib. Supr. 18 Jan. 1894. =(3) Instruct. concordat. 29 Jun. 1867, a 40. =(4) R. Decret. 12 Oct. 1895. =(5) R. D. 15 Mart. 1882. =(6) Extrav. *Ambitosæ*, Pauli II. =(7) *Nulli liceat*, 5 de rebus Ecclesiae alienandis.

Synodus, precaturque Parochos propriam habitationem possidentes, ut eam, nisi peculiaribus rationibus impediatur, successoribus suis legent, sub certis, si aliter non placuerit, in favorem animæ conditionibus, ab Episcopo approbandis: Parochi et œconomi nonnisi sub inventario domum accipiant, annuam pro illius refectione taxam solvant, opera reparationis necessaria cito exequantur, servatis quæ circa hæc in unaquaque diœcesi fuerint statuta.

6. Episcopis competit ex Tridentino (1) facultas et munus «visitandi hospitalia, collegia quæcumque, confraternitates laicorum... et pia loca omnia», eisque præterea (2) «administratores, tam ecclesiastici, quam laici, fabricæ cujusvis Ecclesiæ... et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis». Regulæ igitur quas pro conservatione aut acquisitione bonorum Ecclesiæ et pro illorum redditibus custodiendis aut impendendis Episcopus conficiat, accuratissime ab iis, ad quos pertinet, servantur.

7. Episcoporum est pias foundationes canonice admittere, conditionesque ab ipsis habendas statuere: quum ergo novam cappellaniam aut anniversarium vel aliam piam foundationem aliquis instituere velit, aut Ecclesiæ legatum relinquat, Episcopum certiozem faciat Parochus, ut quid pro foundationis securitate et Ecclesiæ profectu, ad normam legum, omnibus adjunctis perpensis, peragi debeat decernatur.

(1) S. 22, c. 8 de ref. = (2) Id. c. 9.

TITULUS XXI.

De sepulturis.

Inter res sacras, quæ Ecclesiæ potestati subjacent, annumeranda sunt cœmeteria, loca nempe ad Episcopo vel ejus delegato benedicta, ubi christianorum tumulantur corpora, quæ viva membra fuere Christi (1), Spiritus Sancti habitaculum (2) et organum operationum ipsius. Cadaverum crematio, apud ethnicos usitata, graviter est illicita, societatesque ad illam introducendam et propagandam ab Apostolica Sede sunt damnatæ (3).

1. Cœmeteria, alto muro septa (4), solidis januis claudantur: in funerariis inscriptionibus nihil impietatem redolens Parochi permittant: novæ arborum consitiones haud fiant: herba succrescens ibidem comburatur, quin nullatenus bestiarum alimento inserviat: redemptionis nostræ crux in eo emineat: profani conventus procul habeantur: ubi per facultates liceat, Cappella erigatur ad preces fundendas et Missas aliquoties pro defunctis celebrandas: nihil sit vel fiat sanctitatis loci indignum: clericorum a laicorum sepulcris sint separata.

2. Leges civiles (5) poscunt Parochorum testimonium circa possibilitatem construendi cœmeterium sumptibus Ecclesiæ; profecto, oporteret ut hujus expensis omnia exstruerentur: a Municipio autem reparari debent (6): etsi hæc illa exstruerit, clavis, vel saltem una, si aliam, quod tamen non

(1) 1 Cor. 6, 15. =(2) Id. 6, 19. =(3) S. C. Inquisit. 19 Mart. 1886. =(4) Lit. Circul. Guber. 28 Jun. 1804. =(5) Lit. Circul. Direct. general. benef. 27 Febr. 1890. =(6) R. O. 8 Febr. 1866.

expedit, Præpositus Municipii habet (1), a Parocho vel Capellano retineatur: cœmeteriorum pecunia Municipii exstructorum (2) Capellani ab ipso nominati approbatione indigent Episcopi: nec sine hujus licentia exhumanda sunt cadavera et ad alium locum transferenda (3).

3. Quibus non communicavimus in vivis, nec communicemus defunctis; «careant ecclesiastica sepultura qui prius erant ab ecclesiastica unitate præcisi», statuitur in Decretalibus (4): jus igitur, quod aliquid spirituale est, accipiendi in *campo sancto* christianam sepulturam, ab Ecclesia, quæ scit quinam sint ejus filii et quinam in ejus communione non moriantur, definiri debere lex ipsa civilis exprimit (5).

4. Sicut scandalum esset fidelibus in eorum cœmeterio quorundam perditorum hominum corpora tumulari, ita exitiale judicandum est humationes extra illud frequenter fieri, eo quod horror his debitus in aliquorum animis tepesceret: ab ecclesiastica sepultura excludantur qui illius indigni in Rituali Romano dicuntur (6): in dubio quod frequenter obvenit quoad suicidas, peccatores publicos, eosque qui semel in anno sacramenta non susceperunt, quoniam de pœna, re odiosa, agitur, sepultura concedatur in cœmeterio catholico, (non semper tamen, quando nempe scandalum adsit, cum solito funebri officio). Ad vitanda incommoda quæ ex sepulturæ denegatione Parochis oriri solent, et quoniam in casibus frequentioribus nullo negotio certum non apparet eam denegandam, prohibemus, ne iidem quempiam baptizatum a catholico cœmeterio excludant absque licentia Ordinarii, cui omnia necessaria nota fiant, vel saltem Archipresbyteri, si ad illum recursus difficilis esset: oporteret autem Episcopum consuli

(1) R. O. 11 Febr. 1892. =(2) Id. 12 Mart. 1861. =(3) Id. 18 Apr. 1855. =(4) Cap. *Sacris* 12 de sepult. =(5) R. O. 30 Sept. 1877, 19 Maj. 1893, et alias. =(6) Sub titulo *quibus non licet dare sepul. eccles.*

priusquam mors contingat, quum proxima videatur, eorum de quorum jure ad ecclesiasticam sepulturam dubium exortum fuerit.

5. Leges civiles præcipiunt (1) cœmeterium pro acatholicis haberi, cujus ingresus non fiat per januam catholici (2). Ad refugiendum collisus qui in ecclesiasticæ sepulturæ denegatione non semel accidunt, municipii procuratores inducat Parochus ad hujus præcepti exsequutionem: expediret verumtamen catholicum cœmeterium a civili esse distans: in hoc autem, qui in ecclesiastica communione moriuntur, ut sunt parvuli baptizati, jus ipsum civile prohibet sepeliri (3), et sepelientes punit (4).

6. Cœmeterium polluitur quando in eo tumultantur excommunicati vitandi (5), non baptizati (6), et qui in duello fuere occisi (7): sed, sicut ad pollutionem Ecclesiæ, requiritur ut hi casus sint vere publici: per ceterorum sepulturam, quibus a Jure negatur, minime cœmeterium polluitur. Si antequam hoc reconcilietur, ad quod usus est Parocho licentia Prælati, aliquis in eadem parochia fidelis diem supremum obeat, solitis funeris ritibus peractis, corpus ad illud Sacerdotes non comitentur: cadaveris exhumatio, per quod profanatum fuit cœmeterium, nonnisi post duos annos communiter fieri permittitur (8): interea sepulturæ locus muris sepiatur, sumptibus auctoritatis quæ humationem præcepit (9). Si ceterorum ecclesiasticæ sepulturæ indignorum quispiam illam acceperit, rem etiam Parochi statim ad Episcopum deferant.

7. Taxam pro sepulturis assignatam Parochi pro fabrica percipiant, nisi cœmeterii opus Municipii expensis (10) vel

(1) R. O. 2 April. 1883. =(2) R. D. 23 Febr. 1872. =(3) R. O. Nov. 1890. =(4) Cod. pœn. a. 349. =(5) Decretal. l. 3, t. 23, c. 12. =(6) Decret. par. 3, dist. 1, can. 27. =(7) Benedictus XIV, Bull. *Detestabilem*. =(8) R. O. 5 April. 1889. =(9) Id. 31 Mart. 1830. =(10) d. J. 11. 1337.

p̄ersonæ privatæ peractum fuerit: longe autem absit quidquid turpem aut simoniacam negotiationem sapiat. Ad conflicta cum civili potestate procul habenda, oblivioni non tradant Parochi quod a patriis legibus constitutum est, circa tempus quod intra mortem et sepulturam transigere debet, sub se-
veris p̄œnis (1), et circa licentiam judicis municipalis (2).

(1) Sentent. Tribunal. Sup. 7 Febr. 1888. =(2) Lex 17 Jun. 1870, art. 75.



PARS QUARTA.

DE PIETATE.

TITULUS I.

De Sanctissimo Sacramento venerationi populi exponendo.

Cum in Eucharistia idem Deus præsens sit, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dixit: Et adorent eum omnes Angeli Dei (1), quem Magi procidentes adoraverunt (2), quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur (3), hinc, ait Tridentina Synodus (4), nullus dubitandi locus relinquitur, «quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto patriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant».

1. Non tantum in tabernaculo recondita Sacra Hostia potest venerari, sed illam cultui publico licet exponere; quam antiquus sanctus hic mos sit, ignorat nemo: fructus autem ex eo animarum sanctificationi, devotionis incremento, Divinitatis honori, et adducendis ad Ecclesiam fidelibus, provenientes in omnium oculos sese ingerunt.

(1) Hebr. 1, 6. =(2) Math. 2, 11. =(3) Luc. 24, 52. =(4) S. 13, c. 5.

2. Duplex est venerabilis Sacramenti expositio: alia privata, publica alia. In illa, juxta instructionem a Benedicto XIV editam (1), tabernaculum aperitur, et sacra pyxis clausa suoque velamine oblecta populi oculis objicitur: extrahi autem non debet et velata sub umbella collocari (2); at admitti potest consuetudo ipsam educendi, tantum ut cum ea populo benedicatur (3), cooperta omnino extremitatibus veli oblongi humeralis (4). Sacerdos sit stola et superpelliceo indutus, et sex saltem cerei accendantur (5). Ad hujusmodi expositionem non sufficit bonum privatæ personæ (6), Ordinarii autem consensus non requiritur (7).

3. Eucharistiam publice exponere Parochis non licet, sine Ordinarii consensu (8), nec licentiæ limites ac conditiones transgrediantur. In decernendo utrum ratio subjecta ad publicæ expositionis copiam faciendam sit sufficiens, regula a sancto Litorio (9) tradita præ oculis habeatur, videlicet: An in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus Sacramenti magis augeatur vel minuatur. Invigiletur præterea ut sacræ Rubricæ ab Apostolica Sede præscriptæ religiose exequantur, quarum nonnullas heic decerpere ac colligere non abs re erit.

4. Minime illuminetur Sacra Hostia a parte postica Ostensorii (10). Neque reliquiæ neque imagines sanctorum (11), præter Angelorum adorantium, sint in altari (12): Quoad crucem, quæ collocari non debet super throno (13), relinquendam removendamve, servetur locorum consuetudo (14). Amoveantur vero tres tabellæ, quas Rubricæ ad celebrantis commo-

(1) Instit. 30, 5 Mar. 1734. =(2) S. R. C. 16 Mart. 1876. =(3) Id. 16 Jan. 1886, Palentina. =(4) Id. 23 Febr. 1839. =(5) S. C. Ep. et Reg. 9. Decemb. 1602. =(6) S. R. C. 28 Nov. 1897. =(7) Id. 10 Jul. 1688. =(8) S. C. C. 16 Apr. 1756. =(9) Opus Moral. l. 6, n. 224. =(10) S. R. C. 31 Mart. 1821. =(11) Instr. *Clementina pro expositione*. 40 *Horarum*. =(12) S. R. C. 2 Sept. 1741. =(13) Id. 2 Jun. 1883. =(14) Id. 2 Sept. 1741.

ditatem exigunt in Missæ celebratione (1). Nisi ob necessitatem, vel consuetudinem, Missa non celebretur in altari ubi expositum est Sacramentum (2).

5. In Ecclesiis maxime pauperibus, potest Episcopus reducere ad duodecim tantum numerum candelarum quæ ardere continuo debent ante Sanctissimum Sacramentum publice expositum (3). Non licet tamen, nec in casu deficientiæ reddituum, lumina *ab oleo* substitui luminibus cereis (4).

6. Eliminetur consuetudo exponendi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum absque incensatione (5). Dummodo non agatur de precibus liturgicis, licet ut chorus musicorum coram SS. Sacramento solemniter exposito decantet hymnos in lingua vernacula (6). Servetur consuetudo thurificationis in expositione, dum a Sacertote benedictio fidelibus imperitur (7).

7. Bachanalium tempore, immediate quadragesimale jejunium præcedente, augustissimum Sacramentum, ad injuriarum reparationem illis diebus Deo illatarum, atque in Dominicæ Passionis commemorationem, quadraginta horas, vel saltem per aliquod tempus exponi, quod a Summis Pontificibus cumulatim est indulgentiis, et permittimus et summo opere commendamus: in hujusmodi expositione licet singulis diebus sero antequam SS. Sacramentum reponatur, cum eodem benedictionem populo impertiri (8).

8. Toto tempore quo Sacra Eucharistia exposita maneat, duo Sacerdotes, vel saltem unus, sua quisque vice, superpelli-
ceo et stola alba induti, genibus flexis, in presbyterio, Divinam Majestatem adorent (9). Si diutiurnior sit expositio, et clerici parochiæ adscripti, propter eorum paucitatem et in sacro

(1) S. R. C. 20 Decemb. 1864. =(2) Id. 13 Jun. 1671. =(3) Id. 8 Febr. 1879. =(4) Id. 27 Jan. 1868. =(5) Id. 30 Jun. 1883. =(6) Id. 27 Febr. 1882. =(7) Id. 7 Sept. 1861. =(8) Id. 12 Jan. 1878. =(9) Id. 17 Aug. 1833.

ministerio labores, continuo adesse nequeant, curetur ut duo Congregati laici semper in actu adorationis intersint, quibus extra presbyterium paretur aliquod scannum, ubi se sistere possint (1). Sine adoratoribus Eucharistiam exponi omnino vetitum declaramus. Sicut unum genu ante Eucharistiam reservatam, ita ante ipsam expositam, etiam in pyxide, trans-euntes, licet a latere, utrumque genu flectere debent, si in transitu videatur, etsi velata (3); hoc verbis et exemplo Sacerdotes populum doceant.

(1) S. R. C. 22 Jan. 1876. =(2) Id. 22 Sept. 1837.



TITULUS II.

De Cordis Jesu cultu propagando.

Propter unionem Verbi divini cum humanitate et singulis humanitatis Christi partibus, quælibet harum, quæ propriæ factæ fuerunt secundæ Trinitatis personæ, adorandæ sunt supremo patriæ cultu: quum autem aliquod Christi membrum speciatim colitur, haudquaquam cetera excluduntur, sed totus Christus cum omnibus suis partibus veneratur.

1. Damnamus igitur cum Pio Papa VI (1) doctrinam eorum qui devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicientes inter devotiones novas, erroneas aut saltem periculosas, Ejus cultores arguunt quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut hujus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu patriæ: «quasi fideles Cor Jesu adorent cum separatione vel præcisione a divinitate, cum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe Personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est ad eum modum quo exanguæ Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro» (1).

2. Pervetus est in Ecclesia, atque ab Apostolica Sede approbatum, quasdam sanctissimi corporis Christi partes speciali ratione et peculiari festo venerari, ob aliquam mysticam significationem, vel in recordationem cujuspian beneficii redemptionis nostræ. Cor Jesu, pars nempe corporis nobilissima, organum ad vitam necessarium, et affectuum sedes, quod,

(1) Const. *Auctorem fidei*, ad prop. 62 Syn. Pist. = (2) Id. ad p. 63.

propter nos et propter nostram salutem, sic in horto commotum est, ut sicut sanguinis sudor decurreret in terram (1), atque lancea fuit vulneratum adeo ut aqua et sanguis ex eo exiret (2), speciali cultu venerari, ad recolendam dominicam passionem pietas fidelium ubique terrarum, foventibus Episcopis, et omnibus rite perpensis adprobante Apostolica Sede, instituit.

3. Aliud motivum ad cultum nostrum in Cor Jesu verum et phisicum singulari ratione dirigendum in eo est quod habetur communiter cor ceu amoris symbolum, sicque memores sumus infinitæ erga nos divinæ dilectionis atque ad grati animi obsequia eidem exhibenda excitamur: ipse præterea Christus vult ut ab eo discamus, quia mitis est et «humilis corde» (3).

4. Sacri verbi præcones non modo, ubi expedire judicaverint, hanc, prout ab Apostolica Sede fuit approbata, pulcherrimam tenerrimamque devotionem ab inimicorum calumniis atque insectationibus tueantur, ac multiplicia validaque rationum momenta quæ pro eadem militant plano sermone pandant, sed Christi fideles ad ejus Cor imitationem adhortentur, ut Ipsi propius adhærendo, Deum ex toto corde (4) diligant.

5. Statuas aut pictas imagines Sacrorum Jesu et Mariæ Cordium in omnibus ecclesiis parochialibus haberi vel maxime primum Burgense Provinciale Concilium optat; commendatque ut festum Cordis Christi qua poterit fieri solemnitate et pompa celebretur, illudque sacræ novendiales vel saltem tri-duanæ supplicationes antecedant.

6. Archifraternitate Cordis Jesu Romæ a sancto Leonardo a Portu Mauritio instituta, innumeræ propemodum sodalitates sub hoc titulo canonice sunt erectæ, decoratæ, prout jam in anno 1765 rescribebat Sacra Rituum Congre-

(1) Luc. 22, 44. —(2) Joann. 19, 34. —(3) Math. 11, 29. —(4) Deuter. 6, 5.

gatio, «millenis indulgentiarum Brevibus»: ut in omnibus etiam nostris parœciis constituentur cordi nobis est, atque a cooperatorum nostrorum in vinea Domini probato zelo fidenter speramus.

7. A confraternitate Cordis Jesu, sicut a piis associationibus *Horæ sanctæ* et *Rosarii viventis*, dignis etiam quæ omni studio propagentur, diversa est consociatio dicta *Apostolatus orationis*: adorationem enim Sacratissimi Cordis non ut *finem* sed ut *medium* habet (1), ad Dei gloriam et fratrum salutem promovendam, quatenus Cordis Jesu exemplo ad orationem flagrantiori studio alliciuntur sodales, hæcque, in unione Sanctissimi Cordis facta, efficacius scopum suum assequitur. Gestienti animo accipimus plurimos in hac Provincia ei omni laude dignissimo sodalitis nomen dare, atque a summo omnium largitore enixis precibus efflagitamus ut impensos Parochorum pro devotorum Cordis Jesu numero augendo labores benedictionibus uberrimis locupletet.

(1) S. C. Ep. et Reg. 11 Jul. 1896.



TITULUS III.

De Beata Maria a fidelibus honoranda.

Post patriæ cultum, quem soli omnium Conditori præstare licet, cultus est *hiperdulix*, quem nempe Beata Maria, eaque sola, meretur, et jure semper eidem ab Ecclesia fuit redditus.

1. Christum enim Maria, de Spiritu Sancto, absque viri opera, concepit (1), et sicut antea, ita et in partu et postea integritatem non amisit, quod ab Isaia quidem (2), atque a Michea fuerat prænunciatum (3), et de Messiaë matre universi populi sentiebant. Quamvis divinitatem haudquaquam Sanctissima Virgo genuerit, Christum generavit et peperit, Filium Dei et Deum, qui unicam personam habet, atque in duos Filios secari non potest; sicque Virgo Maria, in ejus purissimis visceribus Verbum caro factum est et Deus homo esse cœpit, Dei mater et appellari potest et re veritatis est.

2. Hinc fuit, ut Dei Genitrix, tota pulchra (4), et plena gratia (5), quæ caput infernalis serpentis contritura erat (6), a labe originalis peccati, quod in omnes Adæ posteros transfunditur (7), «singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi» (8), in primo instanti suæ Conceptionis præservaretur, quemadmodum semper a populo christiano in Hispania creditum fuit et palam rationeque multiplici professum ac tuitum; quumque peccato, per quod intravit mors (9), subditum numquam fuisset immaculatæ Dei Parentis corpus, quod est caro Christi, qui et in ipso novem

(1) Luc. 1, 35. =(2) 7, 14. =(3) 5, 2. =(4) Cant. 4, 7. (5) Luc. 1, 28. =(6) Gen. 3, 15. =(7) C. Trid. s. 5, can. 2. =(8) Pius IX, Const. *Ineffabilis Deus* 8 Decemb. 1854. =(9) Rom. 5, 12.

menses habitavit, corrumpi in sepulchro minime decebat: Assumptionem autem carnis Deiparæ in cœlum, ubi super omnem exaltata est creaturam (1), fidei dogmatibus a Summo Pontifice accenseri magnopere optat Burgense Concilium, una cum totius Provinciæ fidelibus.

3. Quæ cum ita sint, Beatissima Virgo, quæ sanctitate et dignitate ceteros cœlites præstat, præ illis peculiari ratione honorari debet: adde quod innumeros atque existimationem omnem superantes favores ab illa cuncti christiani accipimus; de ea, quemadmodum de æterno Patre (2), dici potest quod sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: «ipsius deprecatio multum valuit ad mysterium incarnationis» (3): redemptrix humani generis est (4), et conciliatrix universi orbis (5); mater nostra a Christo moriente (6) fuit constituta. Nihil igitur potius habemus Concilii Patres, quam ut honorem, gloriam et laudem celsissimæ Domini nostri Parentis promoveamus, atque in spem adducimur Sacerdotes et pios fideles pro viribus in hoc ita salutifero opere præsto nobis esse futuros.

4. A teneris unguiculis doceantur fideles ab iis quorum curæ sint concrediti adamare Mariam ejusque invocare præsidium fiducia filiali in omni tristitia et discrimine. Mater Dei est, qui, ut Salomon (7), dicit: «Pete, mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam»; et totum nos habere voluit per eam (8), quæ ita est «pacis nostræ apud Deum sequestra et cœlestium administra gratiarum» (9), a qua, sicut per canalem dispensatricem, aquæ divini fontis, Christi, salientes in vitam æternam (10) nobis donantur. Mater etiam

(1) S. Bernardus serm. de Assump. B. M. V. = (2) Joann. 3, 16. = (3) Leo XIII, Encycl. *Divinum illud*, 9 Maj. 1897. = (4) S. Epiph. orat. ad Virg. = (5) S. Ephren. orat. ad Virg. = (6) Joann. 19, 26. = (7) 3 Reg. 2, 20. = (8) S. Bernad. serm. Nat. B. M. V. = (9) Leo XIII Encycl. *Supremi Apostolatus*, 1 Sept. 1883. = (10) Joann. 4, 14.

est nostra, et «numquid oblivisci potest mulier infantem suum?» (1). Quicumque igitur fluctibus et procellis vitæ jactentur, hanc maris stellam respiciant: qui culparum cœno jacent et vitiorum pondere obruuntur, illius subsidium exposcant, quæ propter peccatores facta est Mater Dei, qui eos quærere venit (2): justi autem in pietate et religione adversus Deiparam crescant, oblivioni haud tradendo devotionem in ipsam certissimum esse, juxta Patrum communem sententiam, salutis æternæ signum.

5. In omnibus Ecclesiis et oratoriis publicis venerationi exponatur imago Sanctissimæ Virginis: festa ei sacra, qua possit fieri, solemni pompa celebrentur; ad ipsius vel miraculis vel populi frequentia clariora sanctuaria concursus et peregrinationes opportune instituantur, foveanturque pia consuetudine introducta: mense Majo, apparatu insigniori et singulari devotione, quemadmodum pluribus in locis jam usuvenit, cultus speciosissimæ Virgini exhibeatur: de ipsius meritis et celsitudine frequentem sermonem ad populum habeant prædicatores, et virtutes ad imitationem proponant.

6. Associatio quæ audit *Filiarum Mariæ* nihil nobis habemus antiquius quam ut in omnibus omnino parœciis canonice instituatur: ex ea enim, mirifice plane apud nostrates propagata, et maximum in modum Angelorum Reginæ obsequium augeri, et pietatem solidam in puellis excitari, easdem a minus honestis aut periculosis oblectationibus revocando adducendoque ad sacram synaxim et devotionis exercitia, ob oculos versatur.

7. Animum etiam vertant Parochi ut sodalitatem quæ a Sanctissimo Rosario nuncupatur vel instituant vel augeant: «nam sive ejus spectetur origo, e primis pollet antiquitate; sive privilegia æstimentur, quamplurimis ipsa ornata est» (3).

(1) Isai. 49, 15. =(2) Math. 9, 13. =(3) Leo XIII, *Encycl. Augustissimæ Virginis*, 12 Sept. 1897.

Quæ de sanctissimo Rosario mense Octobri cum augustissimi Sacramenti expositione et publicis processionibus a Domino nostro Leone XIII per Sacram Rituum Congregationem sunt decreta (1) fidelissime observentur, sicuti quod ipse jussit (2) de invocatione Beatissimæ Virginis a Rosario litanis lauretanis addenda. Omnem diligentiam in id animarum curam gerentes et Sacerdotes universi conferant ut Rosarium ipsum Mariale, «ille tam excellens orandi ritus, in opinione et consuetudine latius convalescat» (3), quemadmodum iteratis litteris monet et suadet feliciter regnans Pontifex, judicium et exemplum decessorum suorum sequens, «qui difficilimis Ecclesiæ temporibus, aucto pietatis studio ad augustam Virginem confugere, opemque ejus summis precibus implorare consueverunt» (4).

(1) 20 Aug. 1885. =(2) 24 Decemb. 1888. =(3) Leo XIII Enc. *Adjutricem populi*, 5 Sept. 1895. =(4) Id. Enc. *Superiore anno*, 30 Aug. 1894.



TITULUS IV.

De devotione erga Angelos.

Angelos, substantias nempe spirituales in se completas, Deus in maxima multitudine (1) creavit, qui, in novem choros distributi, atque amore, reverentia et gratitudine ardentis, veluti flamma ignis (2), necnon habentes potestatem magnam (3), aulæ cœlesti essent ornamenta, atque ipsi Altissimo Throni (4), cui et assisterent et ministrarent, ejusque laudes decantarent continuo.

1. Cuncta, quæ Deus fecerat, erant valde bona (5). Angelus autem qui, juxta sanctum Gregorium (6), fuit superior inter omnes angelos, «quadam quasi exhortatione» (7) plures secum traxit (8) dicens: «Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis» (9). Et factum est prælium magnum in cœlo. Michael et angeli ejus præliabantur cum Dracone, et Draco pugnabat et angeli ejus.... Et projectus est Draco... qui vocatur diabolus» (10). Archangelus (11) igitur Michael, princeps magnus, singulari honore prosequatur a fidelibus, ut eorum animas repræsentet in lucem sanctam, et Dei Ecclesiam a potestatum infernalium oppugnationibus tueatur. Sacerdotes autem post Missas privatas cum, juxta rationem a Sanctissimo Domino nostro constitutam (12), devote semper invocent.

2. Omnes angeli sunt administratorii spiritus in minis-

(1) S. Thom. p. 1, q. 50, a. 3. =(2) Hebr. 1, 7. =(3) Apoc. 18, 1. =(4) Ps. 98, 1. =(5) Gen. 1, 31. =(6) Homil. 34 in evang. =(7) S. Thom. p. 1, q. 63, a. 8. =(8) Apoc. 12, 4. =(9) Isai. 14, 13. =(10) 12. =(11) Jud. 9. =(12) S. R. C. 16 Jan. 1884.

terium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (1). Quemadmodum de pueris dixit ipse Christus (2), et de Jacob (3), et Petro (4) legimus in sacro eloquio, singuli homines singulos angelos habent ad suam custodiam deputatos, ut custodiant illos in omnibus viis suis (5), et eripiant eos (6), atque in itinere vitæ, sicut Raphæel Tobix iter facienti (7), comitentur, et adjuvent adversus dæmonem, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (8). De hac fidei nostræ doctrina erudiantur Christi fideles, ut probe noscant Dei misericordiam, animæ dignitatem, et gratitudinem tutelaribus angelis exhibendam, quorum virtutes, præsertim autem conformitatem cum voluntate divina, imitentur, et præsidium in necessitatibus fiducialiter implorent, et præsentiam, licet invisibilem, recordentur, et offensas caveant, nihil cogitando, dicendo, faciendove quod sanctissimis his custodibus displicere possit.

3. Singula regna, sicut et quælibet hominum communitates, suum ad custodiam angelum deputatum habent, quod de populis Israel (9), Persiæ ac Græciæ (10) signate refert Scriptura. Hispaniæ igitur Angelum custodem instanter invocent quicumque hanc nostram ærumnosam patriam diligunt, ut flagellum divinæ indignationis ab ea longe avertat, et bona quæque eidem vel spiritualia vel temporalia a Deo impetret. Attamen, ut gratiam apud tutelarem angelum ineamus, oblivioni haud detur quod præcipue «unitatem et pacem a nobis exigunt Angeli pacis» (11).

(1) Hebr. 1, 14. =(2) Math. 18, 10. =(3) Gen. 48, 16. =(4) Act. Apost. 12, 15. =(5) Ps. 90, 11. =(6) Ps. 33, 8. =(7) Tob. 5, 22. =(8) 1 Petr. 5, 8. =(9) Exod. 14, 19. =(10) Daniel 10. =(11) S. Bernard. serm. 12 sup. psalm.

TITULUS V.

De sanctorum invocatione et cultu.

Bonum atque utile est suppliciter sanctos una cum Christo regnantes invocare (1). Orate pro invicem præcipimur, ut salvemur (2), quoniam multum valet deprecatio justî assidua, et justos, ut Abraham (3), et Moysen (4), pro aliis hominibus Deum rogasse et ab Eo exauditos fuisse Sacra refert Scriptura; quod post mortem etiam facere nihil vetat, quum intellectum et charitatem conservent: unde scimus hebræos cum ad Deum preces fundebant, nomina Abraham, Isaac et Jacob invocare; Oniam et Jeremiam, vita jam decessos, pro populo judaico orasse (5); B. Petrum promisisse post obitum suum frequenter memoriam facere fidelium (6); sanctos orationes pro hominibus Deo obferre (7); Huncque sæpe (8) per eorum intercessionem concessisse quod alioquin non esset largiturus.

1. Doctrinam catholicam de cultu et invocatione sanctorum facili sermone et exemplis ac comparisonibus declarent concionatores: nihil omnino proferant quod vulgi superstitioni aut hæreticorum calumniis ansam præbere possit: doceant solum Jesum Christum esse nostrum Redemptorem et Salvatorem; ad sanctorum opem et auxilium, qui amici sunt Dei, confugere, non quasi ab eis aliquid expectemus, sed ut ipsi pro nobis Eum orent, a quo omne bonum descendit, «non ut per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed ut eorum precibus et meritis nostræ sortiantur effectum» (9), neque

(1) C. Trid. s. 25 decret. de invocat. et venerat. ss. =(2) Jacob. 5, 16. =(3) Gen. 18, 32. =(4) Exod. 32, 11. =(5) 2 Machab. 15. =(6) 2 Petri, 1, 15. =(7) Apoc. 5, 8. =(8) Job, 42, 8; Gen. 20, 17, et cet. =(9) S. Thomas, 2. 2. q. 83, a. 4.

ac si Deum ipsum immediate orare non possemus, aut sine ipsorum invocatione salus obtineri omnino nequiret, sed ut facilius petitiones nostræ concedantur.

2. Ob eandem qua Deo junguntur charitatem, et necessitudinem quæ ipsis cum Illo est, et virtutes quas exercuerunt sancti, pium est ac rationi consonum eos honore religioso prosequi, laudando Dominum in sanctis ejus (1), dum amicos ipsius honorificamus (2), signis externis testificando excellentiam quam ab illo acceptam habent, quemadmodum a pluribus religiosissimis factum fuisse in Sacra Scriptura legimus (3).

3. Quamvis beatificatis cultus sacer ac publicus debeat, limites in eo non transgrediantur vel a consuetudine vel a Summo Pontifice determinatos: iis qui in opinione sanctitatis vita functi sunt, quin tamen de eorum in gradu heroico virtutibus et cœlesti gloria testimonium suum infallibile Ecclesia Romana (4) ediderit, cultus privatus licite defertur; horum imagines altaribus non imponantur, neque extra altaria depingantur cum aureolis, radiis, aliisve sanctitatis signis; possunt tamen, sicut et gesta ac facta, in parietibus Ecclesiæ seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo «neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium præseferant, neque quidquam profani aut a consuetudine Ecclesiæ alieni» (5).

4. Singuli eos sanctos, quorum nomina in Baptismo imposita habent, frequenter invocent, illorumque virtutes in memoriam revocent, et imitari satagant. Speciali devotione prosequantur sancti canonizati qui in hac provincia ortum habuere, vel quorum corpora aut insignes reliquiæ in ipsius ecclesiis venerationem accipiunt. Licet patronorum parœciarum festa suppressa sint (6), ad ea devotissime celebranda in-

(1) Ps. 150, 1. =(2) Id. 138, 17. =(3) Jos. 5, 15; 4 Reg. 4, 37, etc. =(4) Cap. *Audivimus* de reliquiis et venerat. ss. =(5) S. R. G. 4 Aug. 1894. =(6) Id. 2 Maj. 1867.

ducantur fideles, atque ut titularis Ecclesiæ parochialis præsidium reverenter exposcant.

5. Patronus Ecclesiæ universalis declaratus fuit sanctus Joseph (1). Est namque consentaneum et beato Josepho apprimè dignum, ait feliciter regnans Pontifex (2), «ut sicut ille olim nazarethanam familiam quibuscumque rebus usuvenit, et sanctissime tueri consuevit, ita nunc patrocinio cœlesti Ecclesiam Christi tegat atque defendat». Incumbant itaque animarum directores ut devotionem in populo foveant erga castissimum Mariæ sponsum (3), cui subditus erat Christus (4), qui putabatur filius ejus (5). Illius virtutes qui, cum Pater Jesu a sanctissima Virgine appellaretur (6), in sudore vultus sui vescebatur pane, et domus suæ sollicitam curam gerebat, populo, iis præsertim qui de fructu manuum suarum vivunt, frequenter exhibeantur, quo pietas domestica, apud plures hodie languescens, tam magnis exemplis excitata, magis magisque in dies augeatur.

(1) S. R. C. 8 Decemb. 1870. =(2) Encycl. *Quamquam pluries*, 15 Aug. 1889. =(3) Luc. 1, 27. =(4) Id. 2, 51. =(5) Id. 3, 23. =(6) Id. 2, 48.



TITULUS VI.

De reliquiis sanctorum.

Custodit Dominus ossa sanctorum (1), quorum mors pretiosa est in conspectu ejus (2), ut sit memoria eorum in benedictione, et ossa pullulent de loco suo (3). Sicut olim per umbram Petri (4) et per sudaria ac semicinctia Pauli (5), sic per ea quæ ad sanctos pertinere, plura miracula Deus patrat, nos provocans ut quidquid sanctorum fuerit honoremus, ad quod natura ipsa inclinatur, qua compellimur ad magno pretio existimandum quæcumque ad viros dilectione admiratione a nobis prosequutos spectant.

1. Magna veneratione afficiant fideles corpora cœlitum, quæ viva membra fuere Christi, et templum Spiritus Sancti, et organa animarum sanctarum, et instrumenta ad miracula pro hominum bono perpetrata, necnon gloriose suscitanda sunt ut in cœlo collocentur.

2. Doceatur populus quam «multa beneficia a Deo hominibus præstantur» (6) per sanctorum corpora, quæ, ut loquitur s. Joannes Damascenus (7), «unguentum redolentis suavitatis scaturiunt, morbos fugant, infirmis medentur, cæcis visum impertiunt, lepras emundant, tentationes et mœrores solvunt», et sunt veluti fontes saluiferi et pignora amoris quò, qui in Ecclesia militanti pugnamus, ab iis qui in Ecclesia triumphantibus gaudent, diligimur.

3. Occasione præsertim venerationis reliquiarum, quæ

(1) Ps. 33, 21. =(2) Id. 115, 15. =(3) Eccli. 49, 12. =(4) Act. 5, 15. =(5) Id. 19, 12. =(6) C. Trid. s. 25, decr. de invocat., venerat. et reliq. ss. =(7) De fide orthodoxa l. 4, c. 16.

populo exponantur, pie adhortentur fideles ad imitationem virtutum quæ maxime enituere in sanctis quorum illæ sunt, ut non timeant eos qui corpus tantum possunt occidere (1), quod occisum pro Christo sic honoratur; ut pœnitentia et mortificatione castigent et redigant in servitutem carnem suam (2), quæ per viam asperitatum ad decoris fastigium pervenit; ut Deum ex tota anima diligant, qui servorum suorum sepulchrum ipsum gloriosum facit.

4. Vetitum est reliquias vendere (3): qui venales eas habeat, ejus nomen ab sciente deferatur Ordinario (4). Lugendum est cum divo Augustino cibi et potus excessibus velle aliquos sanctorum memoriam celebrare: proinde «reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agantur» (5).

5. Statuente Concilio Tridentino (6), novæ reliquiæ non recipiantur, nisi recognoscente et approbante Episcopo. Reliquiæ autem antiquæ conservandæ sunt in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositas esse (7). Licet Romæ fuerint approbatæ reliquiæ, venerationi publicæ non exponantur absque recognitione Episcopi loci, ut ipse nempe videat utrum re veritatis approbationem habeant.

6. In Ecclesia secure et honorifice custodiantur reliquiæ; earum inventarium, ubi legitime non fuerit jam confectum, Episcopo ad recognitionem exhibeatur: ne partem quidem reliquiæ cujusvis alteri Ecclesiæ vel privato cuiquam donare absque Prælati permissu Parocho licet: debito tempore exponantur a Sacerdote superpelliceo induto, et humerali si cum ipsis populo benedicit, duobus luminibus super altare accensis,

(1) Math. 10, 28. =(2) 1 Cor. 9, 27. =(3) Decretal. l. 3. t. 45, c. 2. =(4) S. C. Indulg. 21 Decemb. 1878. =(5) C. Trid. s. 25. =(6) Decr. de invoc. ss. =(7) S. C. Indulg. 28 Jan. 1896.

servatisque ceteris præscriptionibus liturgicis, præsertim si de Passionis Christi instrumentis agatur, quæ a ceteris reliquiis separata haberi volumus. Qui parvas reliquias thecis inclusas domi habeat aut secum gestet, eas decenter custodiat et reverenter tractet, nec cum ipsis ullo modo negotietur.



TITULUS VII.

De sacris imaginibus.

Christi et sanctorum ejus imagines haberi et veneratione prosequi, quod a primis Ecclesiæ cunabulis in usu fuisse historia testatur, Veteri Testamento non contrait, ubi Deus ipse præcepit imagines fieri Cherubim (1), et serpentis (2), qui exaltationis Filii hominis similitudinem referebat (3), et Arcæ, imaginis Domini, quæ adorationem excipiebat (4); et rationi consentaneum est, qua perducimur ad retinendas et honorandas eorum imagines quos diligimus aut miramur, unde apud omnes gentes inclytis viris statuas erigi solitum est.

1. Præter Christi ejusque Matris, sanctorum quoque in Ecclesiis habeantur imagines, et pium est ut collocentur etiam «domibus et viis» (5). In pictura enim legunt qui literas nesciunt (6); quæcumque in syllabis oratio, hæc in coloribus pictura docet (7). Per imaginum aspectum pia consideratio figitur, et amor incalescit, dum præsens in effigie, qui diligitur, videtur.

2. Quamvis sacrarum imaginum usu maxima artibus utilitas obvenit, et concinne templa decorantur, quæ hoc ipso venerationem etiam sibi comparant, attamen doceantur fideles ideo præsertim in Ecclesiis oculis objici ut religiosum cultum accipiant, atque ut sint veluti præcones sanctitatis prototyporum quæ referunt, et valida exhortatio ad æmulandum eorum virtutes, quæ tales ac tantos illis honores pararunt.

(1) Exod. 25, 18. =(2) Num. 21, 8. =(3) Joan. 8, 14. =(4) Josue 7, 6. =(5) C. Nicænum 2.^{um} =(6) S. Greg. Epis. 9, l. 9. =(7) C. Constantinopol. 4.

3. Morem gerentes Concilio Tridentino (1), quod Episcopis omnibus mandat ut de legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, cum ipso docemus debitam venerationem iisdem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in illis divinitas vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod in ipsis fiducia sit figenda, sed quoniam honos qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, per quas Christum adoramus et veneramus sanctos; quod si quando deitatis icones finguntur, non propterea divinitas figuratur, quasi corporeis oculis intueri queat.

4. Temerarium et perniciosum est (2) generatim reprobare omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere: nam etsi imagines in se spectatæ nihil habent quod aliam præ alia honore faciat dignam, sunt aliquæ quæ ob antiquitatem, vel artem, vel historiam, vel religiosorum hominum frequentiam majorem devotionem excitant validiusque ad pietatem provocant, et per eas abundantiores gratias donari et prodigia insigniora a Deo fieri cernitur, qui, dicente divo Augustino (3), dividens propria unicuique prout vult, non in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit.

5. Piæ peregrinationes ad quædam venerandum sacra signa nullatenus sunt improbandæ: multi enim ex illis, quæ semper apud Ecclesiam in usu fuerunt, sanctitatis fructus redundant, si spiritu devotionis et pœnitentiæ instituantur. Abusus tamen, qui in id genus concursibus atque conventibus deprehendantur, prudentia evellantur funditus; atque sacræ conciones, ubi major sit populi copia, habeantur, ad cordis compunctionem excitandum et pietatem veram ac solidam in simulacrorum cultoribus accendendum.

(1) S. 25, decr. 2. —(2) Pius VI Const. *Auctorem fidei*, ad prop. 70. —(3) Ep. 78 Eccl. hiponens.

6. Insolitæ imagines nullo loco ponantur sine Episcoporum approbatione: nec procaci venustate pingantur aut ornentur: nihil in ipsis vel earum vestibus sit quod illas dedecet: nullæ comparentur quæ aliquid arti repugnans vel devotioni offendens habeant: novas, antequam venerationi ostendantur, benedici valde commendamus: antiquas, sive statuas sive tabulas, quacumque de causa, instaurari vel removeri vetamus, inconsulto Episcopo: neque ulla minus honesta *ex-voto*, vel quæ morem ethnicorum redoleant (1), suspendantur in parietibus templi.

(1) S. R. C. 23 Mart. 1881.



TITULUS VIII.

De precibus pro defunctis.

Qui absque peccato mortali, in gratiæ statu, diem supremum obeunt, maculam autem venialis culpæ in animabus habent, cœlum, ubi nihil coinquinatum intrat (1), ingredi non possunt, quin a levibus peccatis, quæ in futuro etiam seculo remittuntur (2), rite purificentur: in purgatorio etiam detineri par est justorum animas quibus pœnæ temporalis reatus superest luendus, donec plene justitiæ divinæ satisfaciant, siquidem post acceptam justificationis gratiam non cuilibet peccatori pœnitenti ita culpa remittitur, et reatus æternæ pœnæ deletur, «ut (3) nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo vel in futuro».

4. Animæ in purgatorio existentes fructum ex communione sanctorum participant, quia membra viva sunt Christi eademque nobiscum habent charitatem, et tametsi in statu meriti non sint, meruerunt, dum in terris agerent, ut a fratribus juvarentur suffragiis, potissimum verò, ut definivit Tridentinum (4), «acceptabili Altaris sacrificio». Devotionem erga animas in purgatorio patientes a fidelibus haberi impense studeant Parochi: explicent quam sancta et salubris sit cogitatio «pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur» (5); quot et qualium, qui preces pro mortuis ferunt, bonorum participes fiant, exponant: confraternitates quæ *ab animabus* nomen accipiunt, vel instituant vel augeant: quidquid verò tum superstitionis, tum quæstus turpis speciem habeat, longe a se repellant.

(1) Apoc. 21, 27. —(2) Math. 12, 32. —(3) C. Trid. S. 6, can. 30. —(4) S. 25, decr. de purgatorio. —(5) 2 Machab. 12, 46.

2. In christianorum exequiis pia mater Ecclesia ad eorum suffragium et vivorum pietatem cærimonias et ritus adhibet sapientia plenos et antiquissimæ traditioni consentaneos: in iis peragendis qua par est devotione ac gravitate Sacerdotes utantur: nimiam festinationem vitent: funebris cantus præfixum modum non mutant: officiis defunctorum assistentes canant, si fructus volunt facere suos (1).

3. Noctu cadavera ad cœmeteria non deferantur, nisi de Episcopi licentia (2). In feretro vel tumulo non exponatur defuncti imago (3) nec signum societatis vetitæ. In associatione defuncti, etiam Sacerdotis, feretrum Ecclesiastici non portent (4). Feretrum in quo reconditur corpus puellæ inuptæ panno ex lana alba contexto non cooperiatur (5); quod si alicubi contrarius mos absque populi tumultu vel perturbationibus tolli nequiret, fascia nigri coloris, non autem in modum crucis, superponatur in panno albo, ita tamen ut in quatuor lateribus appareat, quo fideles agnoscant defunctum egere suffragiis (6).

4. Fidelium cadavera, utcumque deferantur, licet curru, sive ad ecclesiam sive ad cœmeterium, semper a Sacerdote associantur (7); in exequiis autem defunctorum extra Missam peractis non adhibeantur diaconus et subdiaconus sacris indumentis parati (8). Nulla confraternitas impediatur ne accedat ad funera, modo sine jurium parochialium præjudicio (9). Hæredes defunctorum possunt vocare numerum Sacerdotum sibi benevisum (10), quoties autem electio fit a Parocho, Clerici Ecclesiæ externis præferantur (11).

5. Pauperes, qui propriis impensis humari non possunt,

(1) S. R. C. 9 Maj. 1857. =(2) Id. 15 Mart. 1704. =(3) Id. 30 Apr. 1896. =(4) Id. 22 Mart. 1862. =(5) Id. 21 Jul. 1855. =(6) Id. 31 Aug. 1872. =(7) Id. 15 Jul. 1876, Santanderien. =(8) Id. 6 Febr. 1858. =(9) S. C. Ep. et Reg. 20 Aug. 1616. =(10) Id. 5 Maj. 1617. =(11) Id. 23 Apr. 1699.

gratis omnino sepeliantur (1). Nullo modo sepultura retardetur sub quovis pretextu compositionis quartæ funeralis (2). Primis Ecclesiæ seculis oblationes pro defunctis fiebant (3), quæ tamen ex fidelium dependebant voluntate: in laudabiles postea consuetudines conversæ, obligationem justitiæ induunt, et ab hæredibus ob curam animarum et ratione laboris et sustentationis eas Parochi exigere possunt, etiam, modo aliud medium non suppetat et licentiam ab Ordinario obtinuerint, coram Judice laico. Episcopi autem eos compescant qui hac in re «malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare» (4).

6. Regulariter unusquisque in cœmeterio suæ parœciæ humo tradi debet, quod sacri Canones statuebant, licet extra eam quis animam ageret, «dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari» (5). Liberum autem cuique est cœmeterium eligere ubi ejus cadaver tumulo mandetur (6), servatis juris tum canonici tum civilis dispositionibus: duo autem *defunctorum officia* celebrari deberent, in parochia nempe ubi extremum spiritum duxit, et in illa ubi terræ corpus ejus detur: Parochi vero locorum, per quos cadaver ducitur, nihil omnino exigere possunt (7).

7. Dum aliquis extra propriam parochiam sepulturam habuit, vel quia extra illam cum morte vitam commutavit, vel quia aliud cœmeterium elegit, eorum quæ pro bono animæ suæ reliquit (8), pars aliqua tribui debet Ecclesiæ «in qua cœlesti pabulo refici consuevit, ut, juxta Apostolum, sint consolationum socii ut fuerunt passionum» (9): quæ pars ut *quarta* esse deberet statuit Lucius III (10), ut *tertia* autem

(1) Ritual. Rom. t. 6, c. 1, n.º 8. = (2) S. C. Ep. et Reg. Maj. 1616. = (3) Tert. de exhortat. castitat. cap. 11. = (4) Cap. *Ad Apostolicam*, 42 de simonia. = (5) Sext. Decret. l. 3, t. 12, c. 3. = (6) Cap. *Nos instit.* 1 de sepulturis. = (7) S. C. Ep. et Reg. 24 Nov. 1713. = (8) Clement. l. 3, t. 7, c. 2. = (9) Decretal. l. 3, t. 28, c. 1. = (10) *Epist. ad Præpositum et capitulum faventinum.*

Leo III, sed Clemens III (1) decrevit ut «illa justitia circa medietatem, vel tertiam, vel quartam partem, pro locorum diversitatibus attendatur». Idem, majori rationis vi, dicatur quum defunctus in ipsa domicilii parochia conditur. Consuetudinem servari volumus detrahendi, ut Parocho proprio donentur, quamdam Missarum partem, sicut et omnium relictorum piorum quæ ab ejus fidelibus defunctis instituantur.

8. Catholico cœmeterio christianorum cadavera non reponantur, quin cæremoniæ religiosæ, juxta liturgicas præscriptiones, fuerint peractæ (2): quamvis igitur fidelis ecclesiasticæ sepulturæ non indignus ad eam absque religiosis ritibus deferri jusserit, impleri id non deberet (3). Quoad funeralium classes pro casuum diversitate in singulis diœcesibus servetur quod jure synodali vel consuetudinario sit statutum: a justis autem funerum arceatur quantum possibile fuerit quidquid non ad vera suffragia sed ad mundanam vanitatem pertineat.

9. Elogia funebria sine licentia Episcopi, pauculis in casibus concedenda, in Ecclesia non fiant: in cœmeterio autem ab ipsa lege civili fuere prohibita (4). Ea vero haberi commendamus in Antistitum éxequiis, quibus vel Metropolitani vel proximiorum non impeditum Episcopum provincialem assistere oportet. Singulis annis in die obitus Prælati proxime defuncti, illius nempe qui decessit cathedram tenens (5), anniversarium in Ecclesia Cathedrali celebretur, cui Episcopus vivens assistat (6), qui, finita Missa, juxta liturgicas præscriptiones (7), absolvet. Infra octavam Commemorationis fidelium defunctorum Missa in Cathedrali, cum assistentia Episcopi, canatur pro animabus omnium Episcoporum

(1) Decretal. l. 3, t. 28, c. 9. = (2) S. C. Ep. et Reg. 28 Jan. 1610. = (3) Decis. Rot. Rom. 15 Jun. 1699. = (4) Regia schedula 22 Apr. 1857. = (5) S. R. C. 12 Nov. 1831. = (6) Cærem. Episcop. l. 2, c. 36. = (7) Id. l. 2, c. 12.

et canonicorum ejusdem Ecclesiae (1). Parochi etiam prædecessorum mortuorum memoriam habeant, Salvatoris sententiam memoria tenentes: «Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis» (2).

(1) Cærem. Episcop. 1. 2, c. 37. =(2) Luc. 6, 38.



TITULUS IX.

De processionibus.

Quoniam, dicente Rituali Romano (1), «sacræ processiones seu supplicationes, quibus, ex antiquissimo ss. Patrum instituto, catholica Ecclesia.... uti consuevit, qua par est religione celebrari debent», populum tempestive doceant Parochi, ex ipsius Ritualis præscripto, magna et divina mysteria in eisdem contenta et salutare pietatis christianæ fructus, quos eas rite exsequentes a Domino obtinent, necnon fines ad quos instituuntur, videlicet, ad fidelium devotionem excitandam, ad divina commemoranda beneficia, ad grates Deo solvendas, vel ad supernum auxilium implorandum.

1. Volumus atque statuimus, ut, qualibet abusione remota, fidelissime adimpleantur sapientissima quæ legere est in Rituali Romano circa tempus celebrationis processionum, circa tollendum abusum edendi et bibendi, secumque esculenta et poculenta deferendi in processionali agrorum lustratione, vel ecclesiarum visitatione, circa debitam laicorum a clericis et feminarum a viris separationem, et circa habitum ac modestiam Sacerdotum, qui «sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu mutuoque colloquio, et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent».

2. Processiones extraordinarias, quæ nempe variis ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur, sine Episcopi licentia Parochi non agant (2), nec ipsas pietate fidelium inductas, si Episcopus contradixerit (3), non obstante consuetu-

(1) Tit. 9. c. 1, n. 1. (2) = S. R. C. 14 Maj. 1672, Hispalen. =

(3) Id. 27 Jul. 1628 *decret. general.*

dine (1). Processiones vero extraordinariæ, quas juserit vel permisserit Episcopus, fieri debent, contradicente etiam Parocho (2), etsi extra claustra exeant (3). Cum, stato tempore, propter aliquod impedimentum, processio non fuerit celebrata, Episcopi est, cum consilio Capituli, ad alium diem eam transferre (4).

3. Regulares eorumque confraternitates in festo et octava Corporis Christi processionem Sanctissimi Sacramenti celebrare possunt, non petita Parochi vel Episcopi venia (5); ad alias autem consuetas processiones sufficit Parochi licentia (6). Extra limites parœciæ processiones non ducantur sine permissu alterius Parochi, nisi agatur de processione SS. Sacramenti in festo et per octavam Corporis Christi (7), vel de alia processione quæ ex antiqua consuetudine a populo celebretur, ni aliter Episcopus ordinare velit.

4. Uno die non habeantur eodem loco duæ processiones; qui in processione facienda sunt recentiores alium diem non impeditum sibi eligant (8). Clerici beneficiati assistere tenentur singulis processionibus quas ob causam publicam instituerit Episcopus (9), qui, ut iisdem assistant et compellere potest Regulares clausuram perpetuam non habentes (10). Cantores superpelliceo indutos procedere oportet (11). Tam clerici quam laici, quoad ejus fieri possit, candelas accensas manibus habeant (12), præsertim in SS. Sacramenti processionibus (13). Cetera demum quæ de processionibus generatim et circa aliquas, ut Litaniarum Majorum Rogationes, in particulari, a Sacra Rituum Congregatione præscripta inveniuntur, fidelissime servantur.

(1) S. R. C. 14 Jan. 1617. =(2) Id. 22 Nov. 1681. =(3) Id. 13 Jul. 1676. =(4) Id. 21 Jun. 1690. =(5) Id. 23 Febr. 1839. =(6) Id. 10 Decemb. 1703. =(7) Id. 1 Sep. 1832. =(8) Id. 24 Jan. 1643. =(9) S. C. C. 6 Aug. 1689. =(10) S. R. C. 27 Jul. 1628. =(11) Id. 8 Oct. 1650. =(12) Id. 13 Apr. 1603. =(13) Id. 22 Maj. 1841.

3. Pie ac religiose admodum in Dei Ecclesia inductus fuit hic mos, ut singulis annis peculiari festo die præcelsum Sacramentum speciali celebraretur veneratione ac solemnitate utque in processionibus reverenter atque honorifice per vias et loca publica circumferretur (1). Processio et solemnitas Ssmi. Corporis Christi in omnibus parœciis habeantur die propria vel intra octavam festi, nisi aliter, quoad aliquas, statutum fuerit justis de causis, vel ab Episcopo vel ab antiqua consuetudine, quæ mutari non deberet absque ipsius Episcopi licentia: quum vero extra octavam diei propriæ festum celebretur Corporis Christi, non Missa, absque indulto apostolico, sed commemoratio tantum, sit Ssmi. Sacramenti.

6. Hortentur a Parochis fideles ut decenter ac religiose vias ornent per quas Ssm. Sacramentum sit transeundum. Augustissima Eucharistia sub baldachino semper deferatur, et manibus dumtaxat illius qui solemniter celebravit, non autem Sacerdotum humeris (2), nisi forte contrariam consuetudinem tollendam non esse, ob specialia adjuncta, Episcopus judicaverit. Præterquam in die celebrationis festi hujus, processiones cum Ssmo. Sacramento extra Ecclesiam non exeant absque Episcopi consensu. Processionem a *Minerva* dictam tertia cujusque mensis dominica die cum Ssmo. Sacramento in Ecclesiis Cathedralibus fieri primum hoc Provinciale Concilium Burgense exoptat et commendat.

7. Quoad ordinem in sacris supplicationibus præcedendi præscriptiones liturgicæ serventur. Ad contentiones vitandas, ante festum diem Corporis Christi, in civitatibus episcopalibus rotulus fiat «in quo describantur per ordinem omnes.... qui processioni interesse consueverunt vel debent» (3): controversias omnes de præcedentia «Episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componat» (4); idem

(1) C. Trid. s. 13, c. 5. =(2) S. R. C. 24 Jul. 1638. =(3) Cær. Ep. l. 2. c. 33, parag. 3. =(4) C. Trid. s. 25, c. 13 *de regularibus*.

faciat Parochus in casibus urgentioribus, sine præjudicio tamen jurium, quæ coram Episcopo persequi postea possint. Quamvis ad processiones extra Ecclesiam ducendum opus non sit auctoritatis civilis permissione (3), expedit, si de extraordinariis agatur, ut ipsam de illis Parochus notam faciat simulque ad assistendum invitet.

(1) Lex Associat. publ. 15 Jun. 1880, a. 7.



TITULUS X.

De cantu in Ecclesia.

In Ecclesia Dei, scripsit Joannes XXII (1), psalmodia cantanda præcipitur, «ut fidelium devotio excitetur; in hoc nocturnum diurnumque officium et Missarum celebritates assidue a Clero ac populo sub maturo tenore distinctaque gradatione cantantur, ut eadem distinctione collibeant, et maturitate delectent»; nam cantus in Ecclesia, ait divus Bernardus (2), «mentes hominum lætificat, fastidiosos oblectat, pigros sollicitat, peccatores ad lamenta invitat», «qui etiamsi non intelligerent quæ canuntur, intelligunt propter quid canitur, scilicet ad laudem Dei, et hoc sufficit ad devotionem excitandam» (3).

1. Illum antiquissimum cantum, qui Gregoriani nomine venit, vere ecclesiasticum esse, et omnis cantus ecclesiastici fontem, nullo alio supplendum, nemo facile diffitebitur (4). Sedulum itaque navent studium Episcopi, monitis morem gerendo SS. D. N. Papæ (5), ut excellentissimi hujus cantus usus in Ecclesiis, maxime autem in Cathedralibus, retineatur, vel instauretur, foveaturque et ad pristinam suam revocetur gravitatem; unde iterum ac sæpius, de congrua in divinis officiis canendi ratione agere debens (6), hæc Synodus Burgenensis monet, ut præceptum Tridentinum (7) de cantu ecclesiastico a Seminarii alumni discendo nullatenus parvipendatur aut oblitteretur.

(1) Extrav. Comm. l. 3, t. 1, c. unic. —(2) Ad *soror. De modo bene vivendi*. —(3) S. Thom. 2, 2. q. 91. a 2. —(4) C. Prov. Coloniense, ann. 1860. —(5) S. R. C. 10 Apr. 1883. —(6) C. Trid. s. 24, c. 12, de refor. —(7) S. 23, cap. 18.

2. Etiam si cantus Gregorianus sit præferendus, alium varium atque multisonum, qui harmonicus seu musicus appellatur, ab Ecclesiis non rejicimus. Quidquid autem arti christianæ sit minus congruum, vel ad pietatem excitandam inutile, vel a loci sanctitate alienum, a musica ecclesiastica longe absit, de quo vel maxime sollicitos Antistites esse Concilium peroptat. Nullus itaque, cum Patribus Concilii Ultrajectensis (1) statuimus, cantus musicus unquam seligatur nisi «qui proinde gravitate et docore, puritate et majestate distinguatur et excellat. Invigilent rectores animarum studiosissime, ut huic præscriptioni mos geratur, et ne ullæ introducantur in Ecclesia modulationes vel levitatem redolentes, vel scenicos modos imitantes, vel profanos animi motus concitantes, vel denique tales, quæ nimio vocum conclamantium, potius quam concinentium, strepitu pietatis affectus in fidelibus turbent ac dissipent, potius quam excitent ac nutriant. Illud etiam cavendum, ne fiant verborum transpositiones neque plures longæque repetitiones, et illud in primis, ne nimia prolixitate sacer concentus protrahatur, cum indubitatum sit, non modo id non conferre ad fidelium ædificationem, sed immo animi pietati ac devotioni haud parum nocere ac fastidio esse».

3. Cantores in Ecclesia clericos esse expediret: pueros in Cathedralium choro canentes litteris sacris Ecclesiæ sumptibus, si pauperes admodum fuerint, operam dare, ut si a Deo vocati sunt, ad sacerdotium tandem ascendant, perutile ducimus. Majorem in modum psallentes rogamus, ut Deo, quum ejus laudes canunt, magis quam populo profanis melodiis, placere velint, illa sancti Bernardi (2) gravissima verba oblivioni non dando: «Si sic cantas ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam sed suam». Episcopi autem meritis pœnis cohibeant musicæ magistros, orga-

(1) 1865, t. 5, c. 6, apud Lucid. *De visitatione s. Lim.* c. 6. =
(2) *De interiori domo.*

nistas et cantores a quibusvis in Ecclesia indecori cantus modulationibus, statuitur in Concilio Romano (1), «ne fidelium magis videatur auribus prurire, quam pios in Deum affectus excitare».

4. In dominicis Adventus et Quadragesimæ musica instrumenta in Ecclesia non adhibeantur: dum in Missis elevatur Sacramentum, sileat chorus, et cum aliis adoret: «organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est» (2). Ob oculos teneatur, ad abusus extirpandos, musica instrumenta usitari «ut cantantium vocem corroborent, et sustineant, minime vero ut opprimant et sepe- liant» (3). Musicæ eæ, «ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur» (4), ab Ecclesiis incunctanter arceantur. In Missis mortuorum, si pulsantur organa, tono quodam mæsto et lugubri adhibeantur (5).

5. Inter Missarum solemnia nihil canatur lingua vulgari (6). Tamquam abusus, eliminetur praxis quod in Missa solemnibus, præter proprium ipsius, cantetur in choro a musicis aliqua laus, vulgo dicta *aria*, sermone vernaculo (7). Non obstante Bulla *Piæ sollicitudinis*, Alexandri VII, attentæ consuetudine, ne populus mœrore afficiatur, tolerari potest praxis canendi hispanico idiomate carmina aliosque similes modos musicos coram exposito Ssmo. Sacramento, aut in ejus processionibus (8); quod generaliter fieri licet, dummodo non agatur de hymnis *Te-Deum*, et aliis quibuscumque liturgicis præci- bus, quæ non nisi latina lingua decantari debent (9).

6. Extra Missam, in qua equidem nihil, nisi quod in Missali pro unaquaque habetur, decantari licet, nedum im-

(1) Ann. 1725, t. 15, c. 6. —(2) Cærem. Ep. l. 2, c. 8. n. 70. —
 (3) Bened. XIV, Ency. *Annus*, 19 Febr. 1749. —(4) C. Trid. s. 22,
 decr. de *observandis*. —(5) S. R. C. 31 Mart. 1629. —(6) Id. 21 Mart.
 1639. —(7) Id. 22 Mart. 1862, Valentina. —(8) Id. 27 Sept. 1864. —
 (9) Id. 27 Febr. 1882.

probatum sit, magnopere commendabile est sacra cantica in religiosis functionibus patrio idiomate conscripta adhiberi, eo præsertim fine ut universi fideles uno ore laudes divinas concinant, quo, piis canticis delectati, prout alias diximus, impudicas etiam et vanas cantiones abhorreant. Intra Missarum solemniam feminæ in communitate viventes canere possunt. Feminarum cantum in Ecclesia non improbamus, præsertim ubi cantores deficiunt et in *Filiarum Mariæ* religiosis functionibus, dummodo tamen pro posse variis incommodis, quæ ex puellarum cantu in Ecclesia oriri solent, aditus intercludatur.



TITULUS XI.

De tertio franciscanorum ordine.

Inter omnia quæ ad studium pietatis in populo christiano et conservandum et augendum magnopere conferre perspicuum est, legitur in postremæ synodi Lucensis constitutionibus: «non infimum sane locum Tertii Franciscalium Ordinis erectio et propagatio tenet, utpote ex ejus fundatore et historia facile colligitur».

1. Inter media ad societates clandestinas debellandas hoc, a Sanctissimo Domino nostro Romano Pontifice in Encyclica *Humanum genus* commendatum, adhibeatur oportet propagationis Ordinis Tertii Franciscalium, cujus «hæc tota est ratio vocare homines ad imitationem Jesu Christi, ad amorem Ecclesiæ, ad omnia virtutum christianarum officia; proptereaque multum posse debet ad societatum nequissimarum suppressendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthæc sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad æqualitatem juris: non qualia massones absurde cogitant, sed qualia et Jesus Christus humano generi comparavit et Franciscus secutus est».

2. Deo adjuvante, minime oblivioni trademus quæ Christi Vicarius Episcopis hac de re commendat. «Et caput est commendationis, inquit (1), ut qui insignia pœnitentiæ induerint, imaginem spectent sanctissimi auctoris sui ad eamque contendant.... itaque date operam, ut *Tertium Or-*

(1) Ency. *Auspicato*, 17 Sept. 1882.

dinem vulgo noscant, atque ex veritate æstiment: providete, ut qui curam gerunt animarum doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animorum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis privatim et publice polliceatur».

3. Ut quæ a Parochis perficienda, juxta hoc Leonis XIII præceptum, volumus et speramus, optime impleantur, nihil utilius quam ut attente perlegant et considerent plane mirabilem ac vere auream ipsius, quæ incipit *Auspicato*, Encyclicam, ubi Franciscum Assisiensem admirari «præcipuaque religione colere» ab adolescentia assuetus, in ejus familiam, quod in alia Encyclica (1) repetit, adscitum esse gloriatur: de ætatis moribus in qua Seraphicus Patriarcha in mundum venit, de hujus vitæ sanctissimæ cum Redemptore similitudine, laboribus pro christianæ reipublicæ bono, et exitu subsequuto pulcherrime agit; *Tertii Ordinis* institutionem diffusionemque et inenarrabiles omnigenos fructus hinc medii ævi societati redundantes dissertissime memorat; solideque probato quod «ille ejus spiritus..... mirifice est ad omnia loca et tempora accommodatus», quod «horum temporum ratio ad illorum rationem pluribus ex caussis videtur accedere», quodque validissimum præsidium et tutamen in eo invenitur adversus *socialismum* et *naturalismum*, atque ad concordiam inter christianos, et obedientiam auctoritati, et pacem inter varios civitatis ordines procurandum, vehementissime fideles hortatur, «ut nomen dare sanctæ huic Jesu Christi militiæ non recusent».

4. Quod ad nos attinet, cum Patribus Concilii Vallisletani (2) loquendo, «singulari modo promovendum statuimus tertium Sancti Francisci Ordinem a Ssmo. Domino nostro Litteris Apostolicis commendatum utpote medium ad reformandos mores validissimum, atque impiarum societatum co-

(1) *Felicitate quadam*, 4 Octob. 1897. = (2) Par. 1. tit. 7.

natibus obsistendum» (1), et nostra facimus hæc Concilii ultimi Compostellani verba (2): «Vitiis opportunum efficaxque remedium adhibere quam maxime cupientes..., quam libentissime Parochos ceterosque omnes in nostra ecclesiastica provincia animarum curam habentes instanter admonemus, et per viscera Domini nostri Jesu Christi enixe obsecramus, ut in propriis ecclesiis venerabilem sancti Francisci Assisiensis Tertium Ordinem, Pœnitentiæ nuncupatum, pro viribus stabilire conentur, et qua possint diligentia, ad optatam perfectionem perducere studeant».

5. Quoniam, etiamsi post fervidas Christi Vicarii cohortationes, quemadmodum ipse in Constitutione *Misericors Dei Filius* (3) aperit, «plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitates Tertii Ordinis expetentium», adhuc allaborandum est, ut ejus pientissima ac saluberrima desideria omnino impleantur, Parochi nobis, ut sanctissimi Patris labores optatam metam contingant, mutuam diligentemque conferant operam: populo pandant innumeras indulgentias defunctis applicabiles et uberrimas gratias spirituales nullo negotio lucrandas tertiariis Franciscanis a Leone XIII esse concessas (4); omnes bene moratos, sive viros sive feminas, majores quatuordecim annorum, dummodo tamen nuptæ, sciente et consentiente marito, cooptentur, Ordinem (5) ingredi posse; ex regula, nec laboriosa præscribi, nec alia exigi insignia gerenda nisi scapulare parvum et cingulum in interioribus vestibus; atque singularem curam haberi de sodalibus pauperibus, ægrotantibus et defunctis.

6. Etsi quoad interiorem gubernationem Tertius Ordo,

(1) C. Prov. Vallisolet. p. 6, t. 7. —(2) Cap. de tertio franciscano ordine. —(3) 30 Maj. 1883. —(4) 30 Maj. 1883, et 30 Jan. 1893; 7 Jul. 1896. —(5) Lex sodalium Francisc. Tert. Ord. a Leone XIII sancit. c. 1.

qui *secularis* dicitur, a jurisdictione episcopali sit exemptus (1), non ita tamen quoad exterius regimen: præterea, ut nova Tertii Ordinis Congregatio instituat, opus est ut ejus functionibus peragendis ecclesia vel cappella, aut saltem altare destinetur, hæcque, si ad primum Franciscanorum Ordinem non pertinent, designari debent a Visitatore cum consensu Ordinarii (2), ad lucrandas indulgentias a Leone Papa XIII concessas; etiamsi autem ecclesia, in qua erigenda sit congregatio, Regularium fuerit, semper ad erectionem consensus Ordinarii requiritur (3). Episcopis qui id petunt concedere solent Ordinis S. Francisci Ministri Generales, ut per semetipsos, vel per alios Sacerdotes, ad habitum et professionem Tertii Ordinis admittant, et Tertiarios in congregationem coadunare et unicuique directorem præficere; ideo Parochi, qui Tertium Ordinem instituere velint, si in suis parœciis Religiosi Franciscani non fuerint, ad proprium Episcopum recurrere possunt. Cum igitur in multis Pœnitentiæ ordo ab Episcopis dependeat, multum semper incrementi ab ipsis in hac Provincia accepturum spe allicimur, sicut etiam, speciali modo, ab alumnis familiæ franciscanæ et a sanctæ Claræ monialium capellanis.

(1) S. C. Indulg. 31 Jan. 1893 = (2) Statuta general. Ven. Ord. Tertii, pag 39, ed. Matriti 1894. = (3) S. C. Indulg. 31 Jan. 1893 ad 2 um



TITULUS XII.

De piis sodalitiis.

Vix dici potest quantum ad religionis decorem, ad splendorem cultus, ad devotionis augmentum atque ad mutuam caritatem piæ sodalitates conferant, quibus Christi verba (4) acommodari queunt: «ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum». Ut autem scopi assequantur, ad quos illæ fuere institutæ, conditiones necesse est exsequutioni mandentur, quæ eisdem ab Ecclesia sunt præscriptæ.

1. Una tantum confraternitas ejusdem nominis ac generis in unoquoque loco instituatur (2), nisi agatur de sodalitatibus Ssmi. Sacramenti et doctrinæ christianæ (3). Confraternitates et congregationes non erigantur, neque archiconfraternitates alia sodalitia sibi adjungant et aggregent, absque consensu et litteris testimonialibus Ordinarii (4). Statuta ab illis condita Episcopi approbationi subjiciantur, etsi fuerint ab archisodalitiis impertita (5), cui soli competit ea confirmare (6), quique jam approbata corrigere et mutare potest, nisi ab Apostolica Sede fuerint roborata (7). Si qua sodalitia vel statutis careant, vel hæc Ecclesiæ disciplinæ non respondeant, curent Episcopi, ut quamprimum recte conficiantur.

2. Episcopus jubere potest, ut ipse, vel ejus delegati, de conventibus extraordinariis confraternitatum moneatur (8), et per se ipsum vel per alium confratrum commitiis assis-

(1) Math. 18, 20. =(2) Clemens VIII, Const. *Quæcumque*, 7 Decemb. 1604, n. 2. =(3) S. C. Indulg. 7 Febr. 1607. =(4) S. C. Ep. et Reg. 3 Febr. 1610. =(5) S. C. C. 29 Maj. 1688, =(6) S. R. C. 7 Oct. 1617. =(7) S. C. Ep. et R. 17 Febr. 1603. =(8) S. C. C. 21 Jan. 1786.

tere (1). Eiusdem est etiam officiales et ministros a sodalitate nominatos confirmare (2). Ipsæ confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutæ jurisdictioni et visitationi episcopali subsunt (3). Spirituales gratiæ sodalitatibus concessæ ab Ordinario loci recognoscantur: eleemosynæ et alia oblata christianæ charitatis subsidia nonnisi juxta modum et formam ab eo præscriptam excipiantur (4); et administratores annuatim rationem eidem reddant (5).

3. Ob oculos habeant Parochi Decretum *Urbis et Orbis*, quod ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter eosdem et confraternitates seculares frequenter oriri solebant, Sacra Rituum Congregatio edidit (6), ubi statuitur, inter alia plura scitu digna, confraternitates erectas in Ecclesiis parochialibus iisque annexis capellis et oratoriis dependentiam habere a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus, non autem si erectæ sunt in aliis vel Ecclesiis vel oratoriis; benedictiones mulierum post partum et fontis baptismalis fieri debere a Parocho; in Ecclesiis publicis confraternitatum haberi posse publicas conciones cum licentia Ordinarii, absque permissione Parochi, non autem celebrari debere Missam ante parochialem, nisi aliter Episcopus disponat; haud posse Parochum se ingerere in administrationem oblationum in confraternitatibus Ecclesiis recollectarum, et vicissim in Ecclesia parochiali confratres vel eorum capellanos se immiscere non valere, invito Parocho, in functionibus sive parochialibus, sive non parochialibus; quæ omnia a Summo Pontifice confirmata fuere (7), salvis tamen synodalibus constitutionibus et consuetudinibus immemorabilibus, necnon conventionibus in confraternitatum erectione forsitam factis.

(1) S. C. Ep. et R. 24 Nov. 1690. =(2) S. C. C. 14 Jan. 1769. =
 (3) Id. 23 Jun. 1729. =(4) Const. *Quæcumque a Sede Apostolica*. =
 (5) C. Trid. s. 22, c. 9, de refor. =(6) 10 Decemb. 1703. =(7) Clemens XI, 12 Jan. 1704.

4. Circa præcedentiam inter unam et aliam sodalitatē, quasi possessio attendatur (1); si vero de hac non constat, illa confraternitas prægrediatur, quæ prius saccum induit (2). Sanctissimi autem Sacramenti confraternitas omnes antecedit in iis processionibus in quibus Sacra Eucharistia defertur (3). In regressu autem a processionibus jus præcedentiæ non attenditur (4).

5. Quoniam Parochorum auctoritatem in omnibus munire ac roborare hodiernis temporibus quam maxime expedit, in Constitutionum confectione et approbatione provideatur, ut confraternitates in parochialibus Ecclesiis erectæ Parochorum jurisdictioni omnino subsint; ceterarumque jura et obligationes sic ab Ordinario præfiniantur, ut in posterum omnis dissensionis cum parochiarum rectoribus occasio præcidatur: jura autem, quæ super confraternitates Episcopi habent, ea, ut plurimum, per Parochos exercent.

6. In confraternitates non admittantur qui præceptum annuæ communionis non impleant, vel bona fama non gaudent; ab iisque, post tertiam monitionem, expellantur qui illarum reperiantur indigni: caveatur ne confraternitates inserviant tantum ad comessationes comotationesque, et ad vanitatem excitandum et fovendum: eas Parochi excolant piis exercitiis et adhortationibus, adeo ut in illis instrumenta possint habere aptissima ad ceteros fideles ad devotionem et vitæ christianæ perfectionem alliciendos. Quia vero præstat paucas florentes sodalitates habere, quam multas languore ac tepiditate laborantes, paræciarum curatores harum necessitates conditionesque probe perspiciant, ut inter tot ab Ecclesia approbatas, eas erigendas optent, de quibus postea maximam sollicitudinem gerant, quas magis in Domino expedire videant.

(1) Greg. XIII, Bull. *Exposcit*. = (2) S. R. C. 24 Sept 1712. =
(3) Id. 3 August. 1697. = (4) Id. 18 Jun. 1695.

7. Postremo, sicut Episcopo subesse et adhærere, ita animarum conjunctionem retinere debent piæ sodalitates: «primo enim, inquit Leo XIII (1), hoc est cuius hominum cœtui commune, ut omnis eorum vis et efficientia a voluntatum conspiratione proficiscatur: deinde maxime decet in ejusmodi sodalitatibus elucere caritatem mutuam, quæ debet esse ad omnia recte facta comes, disciplinæque christianæ alumnos velut signum et nota distinguere... Non modo socii singuli, sed variæ etiam ejusdem generis societates, quod est diligentissime providendum, amice ac benevole consentiant».

(1) Ency. *Cum multa sint*, 8 Decemb. 1882.



TITULUS XIII.

De domestica educatione.

Cum filii, juxta profundam divi Thomæ sententiam (1), sint *aliquid patris*, sedulo proliis conservationi ac tuitioni prospicere debent parentes, et illam juxta propriam rei familiaris conditionem alere, eique thesaurizare (2) curareque ut tale genus vitæ amplectatur, in quo et societati et sibi metipsi utile sit: quia vero filii ad finem supernaturalem sunt elevati animamque habent Christi sanguinis pretio magno (3) emptam ac regenerationis lavacro ablutam (4), iis educatio spiritualis a genitoribus impertiatur, ob quod etiam Matrimonium ad dignitatem Sacramenti fuit evectum.

1. Concionatores igitur ex sacro suggestu gravissimam qua sobolem religiose informandi parentes obligationem tenentur doceant, ac minutatim ostendant quatuplici ratione in eam peccari solet; confessarii eos de filiorum educatione interrogare non omittant, et summo jure cum iis agant quos in hoc divinam legem fuisse transgressos intellexerint, probe perspectum habentes ab his qui liberorum suorum educandorum juxta catholicam normam incuriosi fuerint et negligentes «vix enormius peccatum committi posse contra religionem, societatem naturamque ipsam» (5), atque «in manifesto perpetuæ damnationis periculo versari, si liberos suos religionis elementis erudire negligant» (6).

2. Per suam suorumque salutem parentes obtestamur,

(1) 1. 2. q. 100, a. 5 ad 4. =(2) 2 Cor. 12, 14. =(3) 1 Cor. 7, 23. =(4) Id. 6, 11. (5) Conc. Prov. Burdigalense, ann. 1850. pag. 113. =(6) Benedictus XIV, instr. IX.

nè progeniem collegiis aut scholis tradant educandam, in quibus vel male vel nihil de catholica religione loquitur: parvulorum scholas a filiabus sancti Vincentii a Paulo moderatas enixe commendamus: ceteris paribus, in litteraria collegia sub religiosarum congregationum regimine posita pueros mitti oportebit: catechesi parochiali et sacris concionibus eos assidue assistere parentes faciant.

3. Ex eo quod filii Ecclesiam et scholas celebrent, in quibus catholicam doctrinam addiscere queant, non ideo muneris suo satis omnino fecisse parentes censeant, sed per se ipsos, quantum possint, Fidei veritates eos doceant ab ineunte ætate, ac de illis quæ a catechistis et ludimagistris audierunt crebro sciscitentur: nihil etenim magis prodest, quam ipsa domestica institutio, iis verbis a Domino ipso injuncta (1): «Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, et narrabis ea filiis tuis». Unde sanctus Augustinus sic ad parentes verba facit (2): «Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de iis, qui vobis sunt subditi».

4. Pietatem liberis a primis cunabulis practice affigant satores: sanctæ matris Ecclesiæ orationes eos doceant, simul ac loqui incipiant, et preces, præsertim autem mariale rosarium, una cum iisdem Deo fundant: secum ad Ecclesiam ducant: sacramenta frequentare curent: bonum exemplum illis præbeant; nihil a pudicitia alienum coram iisdem dicant vel faciant: turpibus aut minus honestis imaginibus habitationes ornare nolint: officium suum liberos per viam virtutis ad Christum ducendi minime negligant, serio perpendentes quod, prout Leo XIII explicat, (3) «initia reipublicæ familia complectitur, magnamque partem alitur intra domesticos parietes

(1) Deuter. 6, 6. = (2) Psalm. 50. = (3) Ency. *Sapientiæ christianæ*. 18 Jan. 1890.

fortuna civitatum». Ut hæc omnia a Domino benedictionem accipiant, studeant patresfamilias cunctorum sibi subditorum nomina dare *sodalitati Sacræ Familiæ*, in omnibus parœciis erigendæ, cum ita commendatum fuerit a Ssmo. Dno. nostro Papa Leone XIII.

5. Advigilent patresfamilias, ne pravis libris, ephemeridibus aut fabellis filii corrumpantur; a periculosos oblectationibus, a sociis perversis, a ludis in quibus pecunia exponitur, a religioni adversis tum litterariis tum oblectaminis societatibus, ab abditis cum diversi sexus personis colloquiis, a nocturnis utriusque sexus juvenum conventiculis, et a locis suspectis, eos removeere satagant: nec pueros et puellas in eodem lecto accumbere sinant.

6. Filios a via religionis ac virtutis deflectentes ad illam revocare patres toto nisu conentur: nimiam cum iisdem lenitatem et indulgentiam fugiant: correctione, prudenter tamen et moderate, dum opus fuerit, uti non omittant. Libertatem ipsis in electione status non tollant: consilio tamen pro sua prudentia in re tam magni momenti dirigant. Oblivioni non dent anathemati ex Tridentino subjici (1) qui mulierem ad ingrediendum monasterium coegerint, aut ejusdem voluntatem voti emittendi «quoquo modo sine justa causa impelierint».

7. Curam etiam de famulis suis habeant fideles: eos sufficienter alant, indebitis laboribus non gravent, justo pretio non fraudent, a Missa audienda diebus festis non impediunt, nec in iisdem occupent servilibus operibus, fidei rudimentis institui, tempus ad hoc concedendo, permittant, delinquentes corrigant, scandalosos, præsertim filiis prava exempla præbentes, dimittant: apud illos autem heros, in quorum domibus fidei aut pudicitie insidie struantur, filios suos famulari patresfamilias non consentiant.

(1) S. 25, c. 18 de regularibus et monialibus.

TITULUS XIV.

De obedientia.

Miserandis nostris temporibus mirum in modum eorum excrevit numerus quos tamquam semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicandas, fluctus feri maris desumpantes suas confusiones, sidera errantia, describit (1) Judas Apostolus, qui nempe dominationem contemnunt (2), majestatem autem blasphemant (3); quorum principium est maximum, ut Christi Vicarii verbis loquamur (4), «omnes homines, quem admodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitæ inter se pares: unumquemque ita esse sui juris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: imperandi aliis jus esse in nemine». Quo magis itaque christiana obedientia ab improbis hominibus hac tempestate impetitur, magis impense allaborandum est, ut in ea fideles, pro sua quisque conditione, permaneant.

4. Concionatores de obedientia verba tempestive facere non omittant, in populi memoriam vertendo quod vir obediens loquatur victoriam (5), quodque melior est obedientia quam victimæ (6); necnon exemplum Christi, subditi Mariæ ac Joseph (7), obedientis usque ad mortem, (8), et non propriam voluntatem quærentis (9); atque coronas gratiarum obedientibus promissas, vindictamque de angelis et protoparentibus rebellibus sumptam.

(1) 12, 13. =(2) 2 Petr. 2, 10. =(3) Judæ 8. =(4) Encycl. *Immortale Dei*, 1 Novemb. 1885. =(5) Prov. 21, 28. =(6) 1 Reg. 15, 22. =(7) Luc. 2, 51. =(8) Philip. 2, 8. =(9) Joan. 5, 30.

2. Quoniam bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua (1), filios, quos parentes educare debent in disciplina et correptione Domini (2), magistri et confesarii doceant quod justum est (3) et placitum Domino (4) genitoribus obedientiam exhiberi, et senioribus adolescentes subditos esse (5), ut his superveniat benedictio et salvi sint (6); nam filius contumax, protervus et parentes contristans non est dignus vocari filius (7), maledicatur a Deo (8), et tamquam mortem merens in sacro eloquio (9) demonstratur. Quod si progenitores quidpiam legi divinæ adversum jusserint, Christi effatum præ oculis filii familias habeant (10): Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.

3. Quamvis mulier data sit viro in adjutorium simile sibi (11) et mutuis ambo teneantur officiis, absurda est et matrimonii finibus minime consona illa feminæ emancipatio, ut ajunt, ab aliquibus sic intellecta ac prædicata, quasi mulieres a maritis prorsus debeant esse independentes: prima mulier, cum Dei præceptum fuit transgressa, ab Eo audivit (12): «Sub viri potestate eris et ipsæ dominabitur tui». Quoniam ad rei domesticæ administrationem et gubernationem familiæ magni refert ut aliquis sit superior, vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ; et sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus (13): et ideo præterquam quod illos ament (14), subditæ sint eis, sicut oportet, in Domino (15), prout Sara obediebat Abrahæ (16).

4. Quemadmodum heris debet esse quasi anima servus fidelis, qui tamquam frater tractandus est (17), ita famuli dominis suis subditi sint (18), eos omni honore dignos arbi-

(1) Jerem. Lament. 3, 27. =(2) Eph. 6, 4. =(3) Id. 6, 1. =(4) Colos. 3, 20. =(5) 1 Petr. 5, 5. =(6) Eccli. 3, 2. =(7) Luc. 15, 21. =(8) Eccli. 3, 18. =(9) Deuter. 21, 21. =(10) Math. 10, 37. =(11) Genes. 2, 18. =(12) Id. 3, 16. =(13) Eph. 5, 21. =(14) Tit. 2, 4. =(15) Colos. 3, 18. =(16) 1 Petr. 3, 6. =(17) Eccli. 33, 31. =(18) Tit. 2, 9.

trentur (1), iisdemque obediant sicut Christo, facientes voluntatem Dei ex animo (2), nec tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis (3), in omnibus fidem bonam ostendentes (4).

5. Omnes fideles suis Episcopis in communionem cum Ecclesia Romana, in qua Beatus Petrus Apostolorum princeps per successores suos imperat et loquitur, debitam obedientiam ex corde præsent. Ecclesia enim superædificata est super fundamentum Apostolorum (5), quos Christus, cui data est omnis potestas in cælo et in terra (6), misit sicut Eum Patrem (7), ut doceant servare omnia quæcumque ipsis mandavit (8), rogaturus Patrem ut alium Paraclytum daret illis (9), Spiritum veritatis, qui docebit omnem veritatem: quorum, quum successores sint Episcopi, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam (10), ut pascant, qui in illis est, gregem Dei (11), et quæ desint corrigant (12), hinc jam sanctus Ignatius præcipiebat (13): «Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant.

6. Unde toto corde improbamus temerariam opinandi et agendi rationem eorum qui nihil in Romano Pontifice et in Episcopis nisi docendi officium considerantes, judicare et carpere eorum ecclesiasticam gubernationem non verentur, tamquam si ad docendum tantummodo in Ecclesia essent constituti, aut in gubernandis suis gregibus rationes semper infallibiles et omnino certas, numquam vero probabiles et a sapienti prudentia dictatas, sequi deberent.

(1) 1 Tim. 6, 1. —(2) Eph. 6, 5. —(3) 1 Petr. 2, 18. —(4) Tit. 2, 10. —(5) Eph. 2, 20. —(6) Math. 28, 18. —(7) Joann. 20, 21. —(8) Math. 28, 19. —(9) Joann. 14, 16. —(10) Act. 20, 28. —(11) 1 Petr. 5, 2. —(12) Tit. 1, 5. —(13) Epist. ad smirnenses.

TITULUS XV.

De subditione potestati civili.

Diabolum imitando, qui sunt ex parte illius (1), quasi velamen habentes malitiæ libertatem (2), ut umquam calamitosis hisce temporibus ab omni potestate subducere cives toto nisu conantur, dum alii religionis nomine auctoritates constitutas infensare non verentur. Quapropter non abs re esse ducimus doctrinam catholicam, a Leone XIII luculentissime explicitam atque strenue vindicatam, asserere ejusque observantiam nostris subditis impensissime commendare.

1. Ministri Dei sunt principes (3), per quem imperant (4); non est enim potestas nisi a Deo (5), et ab Altissimo est virtus (6), qui in unamquamque gentem præposuit rectorem (7). Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare (8), unde a nullo haberetur potestas, nisi data esset desuper (9): iudicium autem durissimum his qui præsumunt fiet (10). Quæ doctrina de potestatis civilis origine quantum rationi consentiat, vel ex eo solummodo apparet quod a Deo, auctore naturæ, ex qua homo socialis est, originem ducit societas civilis, quæ necessario ad subsistendum aliquam supremam potestatem exigit.

2. Insuper nihil hoc, sicut veritati congruentius, humanæ naturæ dignius: ita «auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem, contineturque ne declinet a justitia, neu modum in imperando transiliat» (11);

(1) Sap. 2, 25. = (2) 1. Petr. 2, 16. = (3) Rom. 13, 14. = (4) Prov. 8, 15. = (5) Rom. 13, 1. = (6) Sap. 6, 4. = (7) Eccli. 17, 14. = (8) Jacob. 4, 12. = (9) Joann. 19, 11. = (10) Sap. 6, 6. = (11) Leo XIII. *Enc. Immortale Dei*, 1 Nov. 1885.

præterea rectorum civitatis auctoritas, ex eo quod sit quædam divinæ potestatis communicatio, sublimem dignitatem adipiscitur, «non illam quidem impiam et perabsurdam, imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expectitam, sed veram et solidam, eamque dono quodam acceptam beneficioque divino» (1): denique hoc modo «majestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur; etenim cum semel in animum induxerint, pollere qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia justa ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eis denique obsequium ad fidem præstare cum quadam similitudine pietatis quæ liberorum est erga parentes» (2).

3. Improbanda est igitur eorum sententia qui a populo esse, et ab ipso mandari et posse revocari omnem potestatem contendunt. Etsi mediante populo hominibus tribuatur, non ab eo originem ducit auctoritas, utpote non a voluntate humana creata. Quin doctrinæ catholicæ adversetur, reipublicæ præfuturi voluntate multitudinis in quibusdam causis eligi possunt; sed hoc delectu «designatur princeps, non conferuntur jura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum» (3).

4. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (4). Subjecti igitur fideles sint omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis (5), et dicto obediant (6). Legitimis principibus rebellare non licet (7), et falsum est in populo auctoritatem residere, cujus vi principem perverse gubernantem regno et vita tota communitas expoliare possit (8).

(1) Leo XIII. Enc. *Diuturnum*, 29 Jun. 1881. —(2) Id. *Immortale Dei*. —(3) *Diuturnum*. —(4) Rom. 13, 2. —(5) 1. Petr. 2, 13. —(6) Tit. 3, 1. —(7) Prop. 63 Syllab. —(8) S. Liguori, *Homo Apostolicus*, tract. 8,

5. Reddenda quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo (1); sed obedire oportet Deo magis quam hominibus (2); nam auctoritas quæ cum Dei legibus pugnat, modum suum excedit, et, utpote injusta, nulla est. Præclarum in veteribus christianis exemplum habemus, qui mori potius quam principibus idolorum cultum præcipientibus obtemperare maluerunt. «Sed in iis ipsis rerum adjunctis tantum aberat, ut quicquam seditione facerent majestatemve imperatoriam contemnerent, ut hoc unum sibi sumerent sese profiteri et christianos esse et nolle mutare fidem ullo modo... Neque absimili ratione per eadem tempora christianorum vis institutorum spectata est in militia»: omnesque «cum ab imperatoribus ethnicis injustissime et crudelissime vexarentur, numquam tamen prætermiserunt gerere se obedienter et submisse, plane ut illi crudelitate, isti obsequio certare viderentur» (3).

(1) Math. 22, 21. =(2) Act. 5, 29. =(3) Leo XIII, Ency. *Divinum*.



TITULUS XVI.

De catholicorum unione.

Dolenter videns dissensiones inter catholicos exortas, quo «nihil magis inimici cupiunt» (1), pluries vigilantissimus Leo XIII ad animorum conjunctionem gravissimis verbis fuit eos exhortatus, datis etiam pro singulis nationibus mirabilibus Encyclicis prudentiam summam redolentibus: quum vero in ea quæ de animorum concordia inter hispanos procuranda scripsit, Episcopos appellet et vehementer petat, ut salutarium illius monitorum interpretes, in firmanda concordia prudentiam auctoritatemque nostram adhibeamus, nihil congruentius hic facere posse nobis videtur, quam si nonnulla ex ipsis plane aureis Litteris documenta excerptamus.

4. Concordiæ inter catholicos tamquam fundamentum a Christi Vicario statuitur obtemperatio potestati episcopali: nam sicut Ille totius Ecclesiæ, «ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum acceperunt. Eos in sua quemque ditone jus est præesse, corrigere, generatimque de iis, quæ e re christiana esse videantur, decernere.... Atque ejusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data» (2).

2. Ecclesia universalis est: omnia tempora et nationes complectitur; atque inter tot, quas caducas esse constat, humanas institutiones, usque ad sæculorum finem perveniet: manifestus ergo eorum apparet error «qui rem sacram remque civilem non satis secernant, religionisque nomen ad politi-

(1) Leo XIII, *Nobilissima gallorum*, 8 Febr. 1884. = (2) Enc. *Cum multa sint*, 8 Decemb. 1882.

carum partium trahant patrocinium» (1): unde, ob diversam catholicorum de rebus politicis sentiendi rationem, perniciose illa sententia admissa, gravissimis dissensionibus præberetur ansa aditusque pateret.

3. Non tantum oportet rem sacram remque civilem opinione iudicioque discernere, sed etiam «religionem, et quicquid est singulari quodam vinculo cum religione colligatum, rectum est superioris ordinis esse ducere... Fautoresque contrariarum partium, cetera dissentientes, in hoc oportet universi conveniant, rem catholicam in civitate salvam esse oportere. Et ad istud nobile necessariumque propositum, quotquam amant catholicum nomen debent velut fœdere icto studiose incumbere silere paulisper jussis diversis de causa politica sententiis, quas tamen suo loco honeste legitimeque tueri licet. Hujus enim generis studia, modo ne religioni vel justitiæ repugnent, Ecclesia minime damnat; sed procul omni concertationum strepitu, pergit operam suam in communem offerre utilitatem, hominesque cunctos materna caritate diligere, eos tamen præcipue, quorum fides pietasque constituerit major» (2).

4. De his quæ sunt opinabilia, velut si quæretur «de optimo genere reipublicæ, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus», potest esse inter catholicos honesta dissensio, et licebit «cum moderatione studioque indagandæ veritatis disputare, procul tamen suspicionibus injuriosis, criminationibusque mutuis... Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicæ obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam, justitia non patitur: multoque est major injuria, si in crimen violatæ suspectæve fidei catholicæ, quod non semel factum dolemus, adducatur» (3).

(1) Encycl. *Pergrata Nobis*, 14 Sep. 1886. = (2) Enc. *Cum multa*.
= (3) Enc. *De civitatum constitutione christiana*.

5. Hæc autem, quam maximoperè, cum Sancta Sede, exoptamus, catholicorum concordia, ad allaborandum studiosius compendiosiusque ut adveniat regnum Christi, firmari debet; ideoque, generatim loquendo, nullam catholicos velle rerum publicarum partem attingere non expedit, sed conjunctis viribus rem publicam, supposito Ecclesiæ beneplacito, adire oportet, non tamen «ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes sapientiam virtutemque catholicæ religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicæ venas inducere»; alioquin enim, ipsis otiosis, «plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati» (1).

6. Demum sapientissima hæc pontificia verba in praxim deducantur, quæ ab animarum pastoribus populo non semel explanari, præsertim in celebrioribus oppidis, oportebit: «Non dubium est, quin quædam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate justitiaque certatur, ut opiniones ré usuque valeant, quæ ad communè bonum præ ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adjutricem velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium. Ex adverso, sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio; imo in ipsa disciplina civitatum, quæ a legibus morum officisque religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat christiano nomini: quod ipsum sicubi in periculo esse adversariorum opera videatur, cessandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia præferenda» (2).

(1) Enc. *Immortale Dei*. 1 Nov. 1885. —(2) Enc. *Sapientiæ christianæ*, 10 Jan. 1890.

TITULUS XVII.

De caritate.

Diligere Deum debemus propter Ejus infinitas perfectiones et multiplicia, quibus nos cumulat, dona, et propter Deum proximos, qui sunt Ipsius imagines, divino sanguine redempti, membra nostra in Christo, eundemque Patrem Deum in cœlis et Matrem Ecclesiam in terris nobiscum nominantes.

1. Habentes itaque caritatem, quæ est vinculum perfectionis, defectus et infirmitates proximorum in patientia feramus: ut adimpleamus legem Christi, alter alterius onera portemus; et, sicut electi Dei, sancti et dilecti, induamus viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, supportantes invicem, et donantes nobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.

2. Si unum membrum gaudet, congaudent et cetera, et dum patitur unum, compatiuntur et reliqua: gaudere igitur cum gaudentibus debemus (1). Quam longissime a fidelium animis spiritus absit invidiæ: Moisen imitentur, qui Josue, ægre ferenti quod etiam Medad et Eldad prophetarent, respondit (2): «¿Quid æmularis pro me? ¿Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus spiritum suum!»

3. Præter animarum curatores, qui pervigilant quasi rationem pro iisdem reddituri (3), et de quorum manibus sanguinem pereuntium requirit Deus (4), unicuique Ipse mandavit de proximo suo (5). Si itaque in Lege veteri, occurrens bovi inimici aut asino erranti, reducere eum præcipieba-

(1) Rom. 12, 15. =(2) Num. 11, 29. =(3) Hebr. 13, 17. =(4) Ezeq. 33, 8. =(5) Eccli. 17, 12.

tur (1), & quanto magis fratres nostri a recto veritatis aut virtutis tramite deflectentes, ut resipiscant atque ad meliorem redeant frugem, toto molimine satagere debemus?

4. In fratribus autem corrigendis, ordo, nisi aliud peculiariora adjuncta omnino suadeant, a Christo assignatus (2) servetur: nec proximi culpæ absque vera necessitate in vulgus edantur. Sibi invicem injurias condonent fideles: ipsis qui eos oderunt benefaciant: adversariorum, tamquam catholicæ doctrinæ contrarias, illas opiniones minime notent quas Ecclesia haud damnavit: eos qui catholico nomine gloriantur, et auctoritati ecclesiasticæ dicto audientes se ostendunt, *liberales*, quod, in sensu Ecclesiæ sumptum, est verbum maxime contumeliosum, non appellent, si ut tales ab Episcopis non habentur. Si quæ sodalitas catholica vel catholicus scriptor a collega injuriam accepisse arbitretur, a reclamationibus et dictionibus in foliis periodicis absteat; verum, si necessarium hoc existimat, ad Episcopum, quod non semel est injunctum, recurrat oportet.

5. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clausit viscera sua ab eo, ait Spiritus Sanctus (3), & quomodo charitas Dei manet in eo? Judicium sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam (4): in ignem æternum ibunt maledicti qui esurienti ac sitienti non dederunt manducare et bibere (5). Doctrinam catholicam de eleemosyna, quæ purgat peccata (6), tradant fidelibus concionatores: illos hortentur ut Deum honorent de sua substantia (7), ordinando caritatem (8) et intelligendo super egenum et pauperem (9), cras non dando quod statim possit dari (10), nec tuba canendo ante se, sicut hypocritæ faciunt (11).

(1) Exod. 23, 4. =(2) Math. 18, 15. =(3) Joann. 3, 17. =(4) Jacob. 2, 13. =(5) Math. 25, 41. =(6) Tob. 12, 9. =(7) Prov. 3, 9. =(8) Cant. 2, 4. =(9) Ps. 40, 2. =(10) Prov. 3, 28. =(11) Math. 6, 2.

6. Episcopi et Parochi diligant, protegant ac foveant multiplices, qui, postremis hisce temporibus mirabili Dei providentia, prodiere, religiosos ordines, pias consociationes, et *opera catholica*, ad proximi necessitatibus succurrendum. Efficiant sedulo ut in fidelibus suæ curæ commissis « ipsa a *Propagatione Fidei* consociatio, quanta maxima possit, capiat incrementa » (1). Juventur etiam ac foveantur singulari sollicitudine instituta a *Sacra Jesu Christi infantia* et a *Scholis Orientis provehendis*, omneque ad missiones catholicas augendas respiciens. « Recta enim tendit sanctum hoc opus ad gloriam divini nominis et Christi regnum amplificandum in terris, incredibiliter autem beneficum est his, qui e vitiorum cœno et umbra mortis evocantur, et præterquam quod salutis sempiternæ compotes fiunt, ab agresti cultu ferisque moribus ad omnem civilis vitæ humanitatem traducuntur. Quin etiam iis ipsis est valde utile ac fructuosum, quorum in eo aliquæ sunt partes, cum spirituales illis divitias comparent, præbeant materiam meriti, et Deum quasi beneficii debiterem adstringunt » (2).

7 Amori, quo seipsum quisque diligere tenetur, penitus suicidium repugnat: qui sibimetipsi vitam aufert, legem naturæ violat, qua omnia existentia ad sui conservationem tendunt; jus societatis lædit, ad cuius bonum pro posse concurrere tenetur, cuique violenta sui occisione perniciosum præbet exemplum; et in Deum peccat, auctorem, conservatorem et dominum vitæ. Quoniam vero non pauci sunt qui, vitæ futuræ obliti præsentemque pertæsi, violentas sibi inferunt manus, a concionatoribus hortentur fideles ad ærumnas hujus lacrimarum vallis patienter, ad imitationem Christi et Sanctorum, atque in culparum satisfactionem, quippe a Deo immissas, perferendas, quin in hac militia vitæ hominis super

(1) Leo XIII, Enc. *Christi nomen*, 24 Decemb. 1894. —(2) Enc. *Sancta Dei Civitas*, 3 Decemb. 1880.

terram (1) pavide terga dent, ab adversarum rerum telis fugam capessentes, eo vel magis quod, recte scribente Angelico Doctore (2), «inferre sibi mortem ad alias hujus vitæ miserias evadendas est majus malum assumere ad minoris mali vitationem».

8. Adversus dilectionis officium in seipsum atque in proximum est duellum, quo vita propria atque aliena periculo exponitur, vel ob vindictam, quæ nemini privato, sed solum auctoritati publicæ, a qua singulorum jura sunt tuenda, competit; vel sub honoris redintegrandi prætextu, qui tamen non in alienis judiciis, sed in propria consistit perfectione, nec sanguinis effusione luitur aut resarcitur, nec victoria acquiritur aut roboratur, quum hæc vim, dexteritatem aut fortunam, non autem jus vel innocentiam arguat. Si qui ergo, ut ridiculosis præjudiciis a stultitia atque superstitione barbarorum invectis dent locum, gravissimum hoc crimen quomodo admittere veriti non fuerint, pœnas ab Ecclesia sapientissime inflictas daturus esse intelligant.

(1) Job. 7, 1. =(2) Summ. Theolog. 2, 2, q. 64, a 5 ad 3.



TITULUS XVIII.

De feriis.

Sex diebus mundum fecit Dominus, et in septimo requievit (1): idcirco benedixit diei sabbati, et sanctificavit eum (2), et a populo suo observari et sanctificari præcepit (3). Quoniam autem præceptum de sanctificatione sabbati, in quantum determinat speciale tempus, nonnisi cæremoniale est (4), sabbato, ne eadem ac judæi festa christiani haberent (5), subrogata fuit ab Ecclesia Christi feria prima, in qua mundus initium habuit, surrexit Dominus, mandatum prædicandi Apostoli acceperunt, et Spiritu Sancto adveniente lex evangelica fuit promulgata.

1. Quum vero, maxima affecti tristitia, festorum sanctificationem pro minimo a quampluribus haberi cernamus, concionatores monemus, ut data opera et arrepta, quæ se iisdem obtulerit, occasione, in tertio Decalogi præcepto contenta plano sermone declarent, doceantque quantum rationi congruat ut spirituali refectio, sicut cuilibet rei necessariæ, aliquod tempus deputetur, et post sex dies negotiis temporalibus impensos, animæ negotio, soli necessario, et Deo, temporis datori, una tribuatur; patefaciant causas institutionis aliorum per annum festorum de præcepto; et ostendant quam plura peccata ex hujus præcepti violatione, quæ sacrilegii speciem et scandali atque inobedientiæ reatum involvit, communiter profluunt, et quam graves in hac atque in futura vita transgressores pœnas luent.

(1) Gen. 2, 2. =(2) Exod. 20, 11. =(3) Deut. 5, 12. =(4) S. Th. 22, q. 122, a 4. =(5) Can. *Pœnit ad me*, 12 de consecrat. dist. 3.

2. Missa, quæ festis de præcepto a fidelibus audiri debet (1), a Parocho hora ad illorum commoditatem præfixa celebretur: sicut nimia festinatio ita inmodica in sacris officiis tarditas fugiatur: brevis sit concio, atque non modo ut veritas pateat et moveat, sed etiam ut placeat, respiciat; suppellectilium nitorem, ceremoniarum accuratam observantiam, decorem divini cultus, templi munditiam, atque ministrorum gravitatem, ut populus ad Missæ interessendum alliciatur, minime esse flocci pendenda Parochi noverint, quos devotissime sacrum facere ex animo hortamur: certè majoribus festis tantum in parochialibus Missis adhiberi præcipimus: Missis saltem solemnioribus clericos semper inservire optaret Concilium; sacristas laicos, ætate, gravitate et virtute commendandos, habitu talari indutos assistere laudamus: foveatur pia illa consuetudo, qua sæculares viri, optimæ etiam inter cives conditionis, sancto Missæ sacrificio apud nostrates deservebant, plenaria nunc indulgentia a Leone XIII (2) aucta: pueri, quibus acolythatus exercitium permitti fuerit necesse, ut cæremonias apprimè calleant easque attente et devote peragant, summopere se intentos exhibeant Parochi.

3. Honestæ recreationi diebus festis vacare licet: eos autem in otio transigere, aut vanitate, aut ludis, aut choreis, aut conviviis, a professione christiana alienum est (3), ex qua, dum quietem corpori damus, festinare debemus ingredi in aliam requiem (4), Deum adorando, grati animi sensus Eidem ostendendo, divinam poscendo opem, novissima hominis memorando, propriam excutiendo conscientiam, hebdomadæ culpas expiando, et pietatis operibus per longius quam ceteris diebus temporis spatium incumbendo. Mandamus itaque, in omnibus festis de præcepto hora vespertina eidem commo-
diore campanæ sonitu ad ecclesiam vocari populum, ut præ-

(1) Decret. p. 3, dist. 1. can. 64. =(2) S. C. Indulg. 15 Maj. 1897. =(3) Conc. Toletanum, can. 23. =(4) Hebr. 4, 11.

side Parocho cum ceteris parœciæ inscriptis clericis, qui interesse possint, rosarium mariale recitetur, aut vesperæ officii divini decantentur, aut aliud pium exercitium, quod Parochorum zelus suggesserit, peragatur: foveantur hac etiam de causa *scholæ dominicales*.

4. Præter cessationem ab operibus servilibus, quæ corporis sanitati, et animæ institutioni, et familiæ bono, et dignitati humanæ tantopere congruit, et ipsa fructuum terræ et lucri temporalis abundantia a Domino pensari solet, mercatum fieri, inter alia, festis diebus prohibetur (1). Nihil proinde reliqui faciendum est, ut ab auctoritate civili et ab ipsis populis nundinæ diebus dominicis celebrari consuetæ in alias dies transferantur: fideles ruri degentes a Parochis suadeantur, ne absque quapiam necessitate dominico die negotiorum temporalium ergo ad civitatem ex consuetudine sese conferant cum periculo Missam non audiendi: maximopere expetimus venditores inter se convenire de mercatura diebus festis non exercenda; caveant Parochi ut saltem eos abducant a publica mercium expositione, præsertim dum officia divina peraguntur.

5. Festa mobilia in Cathedralibus Ecclesiis Epiphaniæ die solemniter denuntientur (1): singulis autem parœciis die dominica hebdomadæ festa ac jejunia a Parochis indici præcipimus. In erigendarum confraternitatum statutis ut articulus de festorum sanctificatione apponatur commendamus: sodalitates ad festorum sanctificationi prospiciendum institutæ foveantur: omnes Dei gloriam zelantes in unaquaque civitate fœdus quoddam inire de mercibus non emendis apud illos qui festa non observant, oportet. Doceantur fideles in festis suppressis auditionem Missæ et abstinentiam ab operibus servilibus non præcipi: si vero ea servant, laudabilis hæc

(1) Cap. *Omnes dies*, 1 de feriis. = (2) Can. *Pronuntiandum est laicis*, 1 de Consecratione, dist. 3.

consuetudo a Parocho alatur, qui ad Missæ saltem assistendum illos hortetur. Qui ab Episcopo, vel a Parocho si de casu peculiari et ad tempus agatur, facultatem laborandi in festis obtinuerint, vi dispensationis opera servilia exequi ad scandalum tollendum prodant.

6. Tempore sancto quadragesimæ, præcipue autem hebdomada majori, qua Jesuchristi passio et mors recoluntur, hortentur fideles ut piis meditationibus et devotionis exercitiis, etiam cum ab operibus servilibus abstinere non tenentur, exerceantur: publicæ tunc saltationes cessent; profanæ musicæ sileant: quidquid mundanam lætitiâ ostendat omittatur oportet. Quatuordecim stationes Viæ-Crucis, cujus erectio, ut ab omnibus Parochis in suis Ecclesiis debita facultate obtenta fiat, maxime nobis in votis est, tempore præsertim quadragesimali a fidelibus cum sacerdotibus visitari, percurri comtemplarique fervide commendamus, quo nihil validius ad morum reformationem invenimus, nec pluribus ditatum indulgentiis.



TITULUS XIX.

De observatione jejuniorum.

Jejunium, ait sanctus Petrus Chrisologus (1), «est singulare sanctitatis aratrum: colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentiae messem». Illud Ecclesia, præter alteras causas, ad mortificationem carnis præcipit, et ideo jejunii diebus, sicut et in aliis per annum, eos cibos interdicit «qui et in comendo maxime habent delectationem, et iterum maxime hominem ad venerea provocant» (2). Nullum tamen aliud ecclesiasticum præceptum, dolenter dicimus, impudentius hodie violatur.

1. Ad huic tanto malo occurrendum, concionatores, præcipue adventante quadragesimali tempore, populum doceant auctoritatem, qua Ecclesia pollet, jejunium et abstinentiam quibusdam diebus affigendi; modum hæc præcepta exacte implendi; fundamenta quæ in sacris paginis habent: laudes quibus Sancti Patres illa celebrarunt: asperrimam de eis priscorum christifidelium disciplinam; pluraque ex ipsis tum animæ tum corpori bona profluentia.

2. Confessarii haud nimium cum iis indulgentes se præbeant qui legem ecclesiastici jejunii non implent; causas tamen ab illa excusantes ob oculos habeant: circa ea quæ frangunt jejunium vel abstinentiæ diebus vetantur, ne ad dexteram laxismi vel ad rigorismi sinistram inclinent, præter Sacræ Penitentiariæ responsa optimæ notæ theologos consulere non omittant; quoad quantitatem et qualitatem ciborum in

(1) Serm. 31. (2) S. =Th. 2. 2. q. 147. a 8.

collatiuncula vespertina, probata, sicut et quoad alia ad jejuniorum observationem pertinentia, locorum attendatur consuetudo.

3. Dubitantes utrum causam sufficientem ad non jejunandum habeant, nisi in casibus urgentioribus, confessarii vel prudentis viri consilium exposcant: qui ob dispensationem vel physicam aut moralem impotentiam ab abstinentiæ vel jejunii lege eximuntur, si cibis vetitis palam vesci necessarium illis esse contigerit, taliter agendi causam commensalibus, modo per adjuncta liceat, aperiant: jejunare et ab illicitis cibis abstinere impeditus diebus jejunii et abstinentiæ speciali ut studio pietatis operibus applicetur commendamus, veluti in jejunii præcepti compensationem, atque ad auctoritatem Ecclesiæ præcipientis recognoscendum.

4. Pii fideles mensæ communi in diversoriis, vel dum per viam ferream iter faciunt, assidentes non erubescant fidem suam profiteri, legem abstinentiæ coram ceteris, qui forte timore humano ducti eam violant, servando: caupones absque justa huic gravi peccato proportionata causa ad violationem legis jejunii et abstinentiæ non cooperentur, suamque juxta diversa adjuncta agendi rationem prudentis confessarii consiliis accommodent: patresfamilias atque heri ecclesiastica hæc præcepta a subditis servari studeant: legem jejunii fideliter adimplentes, ut ita satisfacere etiam pro illius contemptorum peccatis intendant, valde oramus.

5. Inenarrabiles indulgentias, et privilegia accipientibus Bullam Cruciatæ et Indultum quadragesimale concessa, quibus jejunii et abstinentiæ lex adeo mitigatur, et Hispania nostra peculiari afficitur honore, ut quotannis Parochi explanent præcipit Synodus, utque die stato Bullæ promulgationem qua poterint solemnitate faciant: improbamus omnino, ut ex sacro suggestu aut in pœnitentiæ tribunali asseratur Bullam accipere teneri qui ejusdem privilegiis uti nolint; quantum poterint

conentur tamen Parochi, ut omnes sibi subditi Bullam sumant. Ad carnes diebus vetitis edendas privilegio *sanctæ Cruciatæ* indigent non tantum qui terrenis bonis abundant, sed etiam qui modica pensione vel labore manuum suarum ad victum necessaria habent, ita testante non interrupta consuetudine a S. Sede probata, quæ Generali Commisario consulenti respondit: «nihil esse innovandum» (1); isti autem ad sumendum Indultum *Bulla carniū* dictum non obligantur, sed sufficit ut unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitent quoties diebus vetitis carnes edant. Quoniam summa ignorantia laborare fideles circa *Bullam compositionis* et *Bullam pro defunctis* comperimus, de his a Parochis tempestive verba fieri Patres hujus Concilii statuimus. Denique memoria tenendum est habentes Bullam *Cruciatæ* et eam quæ *carnis* vulgo dicitur carnes tamen extra Hispaniam comedere non posse diebus quibus id lege generali vetatur (2).

(1) S. C. de negotiis eccl. extraordinariis, 8 Martii 1890. =(2)
S. C. Inquisit., 4 Jun. 1897.



TITULUS XX.

De usuris.

Radix omnium malorum cupiditas quamplura nunc temporis corda tenet: unde tot furta et latrocinia, ingensque aliorum immanium criminum et calamitatum terris incubat cohors: hinc quoque in sponsonibus et aleatoriis ludis pecunia, supra id quod facultates permittunt, vel etiam aliena, exponitur, fraudi, lucri capiendi gratia, non parcendo, periculumque adeundo rixarum, blasphemiarum, desperationis ac suicidii.

1. Ex eadem radice germinavit et crevit maledicta hæc usuræ arbor, quæ succos omnes terræ exsugare intendens, infecundam ac glabrentem illam facit. Quot mala ex fœnatorio commercio, caritatem justitiamque ledenti, agriculturioni, industriæ, artibus, civilique societati obveniant luctuosissima testatur experientia vixque declarari verbis potest.

2. Denuntientur fidelibus pœnæ in Jure adversus manifestos usurarios constitutæ, qui communione altaris (1) et christiana, si in peccato decesserint, privantur sepultura, quin oblationes eorum quispiam accipere possit (2): clerici, si fuerint, quod Deus avertat, usurarii, ab officio et beneficio suspendi debent (3). Cupiens Ecclesia usuram compescere, «voraginem, quæ animas devorat et facultates exhaurit», ut Gregorius X loquebatur, prohibebat ne alienigenæ fœneratores in populis admitterentur, neve ab aliquo domus ad fœnus exercendum iisdem locarentur; præcipiebatque publicos usurarios pœna infamiæ mulctari, et eorum testamenta, qui-

(1) Cap. *Cum tu manifestos*, 5 de usuris. = (2) Cap. *Quia in omnibus*, 3. = (3) Cap. *Præterea parochianis* 7.

bus nullus fidelis assistere debebat, irrita esse ipso jure (1).

3. Usurarii, qui lucrum male acquisitum, dum possint, non restituant, ne in mortis quidem articulo absolvantur: si vere publici sint, ad mensam eucharisticam non admittantur, neque in Baptismo aut Confirmatione patrinorum officium exerceant, neque in piis confraternitatibus nomen inscribant.

4. Quatenus compertum est in pluribus contractibus implicite usuram prohibitam contineri, omnia quæ ad justitiæ virtutem, multifarie nostris temporibus læsam, pertinent, a confessariis adprime dignosci peroptat Synodus: præ oculis etiam habeant circumstantias mutuo extrinsecas, quarum intuitu licet aliquid supra traditam pecuniam exigere: neque oblivio mandent, juxta Sanctum Officium et Sacram Pœnitentiariam, inquietandos non esse qui absque alio titulo bona fide redditus percipiunt secundum taxam legalem, vel ea deficiente, secundum *vulgarem*, communi æstimatione et justorum hominum consuetudine approbatam, «quousque S. Sedes definitivam decisionem emiseric, cui parati sint se subjicere» (2).

5. Quum ex pecuniæ a fœneratoribus susceptione, simul cum familiarum ruina plures, æque numquam satisfacere illam, spirituales noxæ originem ducant, nihil ex sua parte prætermittant Parochi, ut hujusmodi a civilibus legibus non punitos latrones a criminalibus eorum artibus retrahant, atque ad restituendum ablatum, ut remittatur peccatum, inducant: fidelibus sint auctores, data occasione, ut prædiorum venditionem potius faciant, quam ad illa, brevi forte tempore, servanda, pecuniam accipiant cum pactis usurariis mutuatorio valde exitiosis: denique, divites opum serio commoneant et adhortentur, ut saltem ex superfluis mutuum dent, nihil inde sperantes (3), his pauperibus, qui pecunia, vel alia re primo

(1) Cap. *Usurarum*; Cap. *Quamquam*, de usuris, in 6.º = (2) S. C. S. Officii, 30 Aug. 1830. = (3) Luc. 6, 35.

usu consumptibili, vere in casu particulari indigent, præsertim si ipsam reddituros nullum adsit dubium.

6. Vehementissime commendat Synodus Episcopos pro suo posse allaborare, ut iis in oppidis, in quibus major sit necessitas vel minori fieri queat negotio *arcae parcimonie* instituantur, ubi cum aliquo lucro, quod licitum esse pluries Sacra Pœnitentiaria declaravit (1), pecuniam famuli aliique collocare queant; et horrea publica ac societates ad frumentum mutuam credendum agricolis, qui sementem facere possint; et *montes pietatis* a beato Barnaba Interamnensi Ordinis S. Francisci excogitati atque in Concilio Lateranensi V et a pluribus Pontificibus laudati, ex quibus ad certum tempus pecuniam aut alia sibi necessaria, dato pignore et sub conditione modicum auctarium ad Montis expensas tradendi, pauperes accipiunt.

(1) 25 Febr. 1836.



TITULUS XXI.

De adulteriis.

Præter oculorum concupiscentiam concupiscentia carnis (1) animabus, pretio magno (2) emptis, barathrum implet, et corpora plurimorum fidelium, quæ membra sunt Christi (3), et templum Spiritus Sancti (4), turpissime commaculat sædisimeque dehonestat.

1. Lege divina præcipue ob eam rem vetitum est diserte (5) adulterium, quia peccatum etiam est injustitiæ, in quod facile labitur qui ab aliis impuritiis se non abstinet. Sub illis autem Decalogi verbis: *Non mœchaberis* (6); præter adulterium quamque libidinis actionem prohiberi, certo certius est. Quam autem longe omnia impudiciæ genera ab evangelica lege et a sanctitate vitæ christianæ absint, quotque ex eis corpori, animæ ac societati ipsi civili infanda mala promanent ob omnium oculos versatur.

2. Confessarii autem et prædicatores dum de luxuria interrogare vel sermonem habere deceat, ea prudentia utantur, ut juvenes non addiscant quæ salubriter ignorant, aut suis explicationibus libidinem excitent potius quam extinguant: non modos quibus in castitatis virtutem peccatur, sed peccati gravitatem, illius effectus et congruentia medicamina aperire studeant.

3. Parentes doceantur gravissimam, qua obstringuntur, obligationem, ope omni in id intendendi, ut universa, quantum in ipsis est, removeant, quæ filiis et filiabus suis scandalum aut occasionem peccandi præbere queant: haudqua-

(1) 1 Joann. 2, 16. =(2) 1 Cor. 6. 20. =(3) Ibid. 6, 15. =(4) Id. 6, 19. =(5) Catech. Conc. Trid. part. 3, cap. 7, n. 5. =(6) Exod. 20. 14.

quam impedimento sint quominus puellæ suæ *Filiarum Mariæ vel Sanctæ Teresiæ societatem* ingrediantur, aut filii nomen inscribant *congregationi S. Aloysii Gonzagæ*, exempli atque ab Apostolica Sede, juventuti præsertim studiosæ, dati castitatis Patroni: sciant nihil validius, ad juvenes a carnis peccatis præmuniendos, præ Sacramentorum frequentatione, quam societates antedictæ fovere intendunt.

4. Publicos concubenarios, postquam semel et iterum moniti non respiscant, Episcopo denuntient Parochi, ut quid pro nostri temporis ratione faciendum sit in Domino videant. Qui magistratum civilem exercent, meretricum inverecundiam ac procacitatem coercere pro posse ut non omittant, in Deo et propter Deum monemus et rogamus. Societatem, quæ a sancto Francisco de Regis vel a Sacra Familia nomen habet, ad faciliorem reddendam matrimonii canonici celebrationem iis qui incestuose aut in concubinato vivunt, in magnis saltem urbibus, institui, utpote re quidem veritatis utilissimam, in summis nostrum votis est.

5. Luxuriosa res vinum (1): nam venter cibo meroque distentus, ait divus Hieronymus (2), despumat in libidinem. Adversus ebrietatem etiam dimicent prædicationis armis Domini Sacerdotes, hujus vitii turpitudinem, quod homines ratione privando ad bestiarum conditionem redigit, manifestam faciendo, necnon plura eaque gravissima peccata quæ eidem comites se exhibere solent.

6. Qui utriusque sexus juvenum quacumque ratione curam exercent, quemadmodum eis personarum, quæ insidias castimoniam neckerent, societatem nullatenus permetterent, ita ab eorum manibus subducere conentur turpes picturas et libros obscænos, insuper et scripta illa, quæ prosa oratione aut numeris adstricta in amoribus describendis sunt tota, teneros juniorum animos ad impuritatem provocando.

(1) Prov. 20, 1. =(2) Ep. ad Ocean.

7. Mulierum cupiditas eum in vestibus ornatum ostentandi qui proprii status conditionem superat, in caussa est cur pluries ad telas vel monilia emendum castitas, conjugalis etiam, divendatur. Immodicus et turpis ornatus mulieris laqueus est diaboli, in quo plures illabuntur irretiunturque; quapropter, averti faciem a muliere compta in Sacris Paginis jubetur (1); de vestimentis enim procedit tineas et a muliere iniquitas viri (2). Feminarum fucatio quaedam species est fictionis (3) vanitatem spirans: nudatis autem brachiis et pectore eas incedere lascivientium oculis scandalo est. Graviter igitur animarum curatores studeant, ut mulieres abducant ab eo omni, quod non illarum solum sed proximi etiam castitati periculo esse potest; atque ad luxum coercendum, cujus damna qui omnia recensere vellet modum non faceret, illis suadeant, ut habitum Beatissimæ Virginis, sub qualibet ex approbatis advocacionibus, induant.

(1) Eccli. 9, 8. = (2) Id. 42, 13. = (3) S. Thomas, 2. 2. q. 169, a 2 ad 2. um



TITULUS XXII.

De crimine falsi.

Instituta cum sint verba ad animi cogitationes proferendas, contra naturam est ea adhibere ad id significandum quod animus non cogitat. Qui mentitur injuriam proximo infert, qui jus habet ne decipiatur. Sine fide humana societas consistere nequiret: homines sociari non possent, nisi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manifestantes, «et ideo virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti» (1).

1. A tenera igitur ætate fideles a catechistis vel Parocho doceantur horrorem quem mendacium meretur, hortenturque ut illud detestentur et fugiant, loquentes veritatem unusquisque cum proximo suo (2), nam principium verborum Dei veritas (3), qui perdet omnes qui loquuntur mendacium (4).

2. Specialem malitiam ea falsitas induit, quæ proximi famam lædit, huic magnam sic injuriam inferendo, nam melius est bonum nomen quam divitiæ multæ (5). Gravius autem delinquent qui falso crimina adscribunt, «maxime sacratis hominibus» (6). Moneantur itaque christiani de jure quod proximi habent ad rectam et bonam existimationem: sciant os quod mentitur occidere animam (7), nec ceteris facere debere quod sibimetipsis factum esse nollent. Nolint judicare, ut non judicentur; in quo enim judicio judicaverint, judicabuntur (8). Maledicuntur susurro et bilinguis (9); et detractores Deo sunt odibiles (10) et hominibus abominabiles (11).

(1) S. Thomas 2 2. q. 109, a 3 ad 1.^{um} = (2) Ephes. 4, 25. = (3) Ps. 118, 160. = (4) Ps. 5, 7. = (5) Prov, 22, 1. = (6) Decretal. 1. 5, tit. 2, cap. 1. = (7) Sap. 1, 11. = (8) Math. 7, 1. = (9) Eccli, 28, 15. (10) Rom. 1, 30. = (11) Prov. 24, 9.

3. Digna omnino sunt quæ serio pensitentur nostris temporibus illa, quæ in Decretalibus inseruntur (1), divi Augustini verba: «Falsidicus testis tribus personis est obnoxius: primum Deo, cujus præsentiam contemnit; inde judici, quem mentiendò fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. Uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit; quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat».

4. Vir multum jurans implebitur iniquitate (2). Jurandum est in veritate et in judicio et in justitia (3). Scelerate admodum facit perjurus, quippe Deum vocans in testem mendacii, hocque etiamsi mendacium leve sit aut sine animo jurandi juretur (4): qui rem licitam juramento promisit eam adimpleat, dicente Scriptura (5): «Reddes Domino juramenta tua». Quia vero plurimi sunt qui sanctitatem jurisjurandi nihili facientes coram tribunali falsum testari haud verentur, hac super re a prædicantibus verba fieri cupimus. Suadeantur etiam fideles ne nomen Domini assumant in vanum (6).

5. Perjurio affinis est blasphemia, quæ, etiam illa falsitatem contra fidem non continens, peccatum gravissimum est nunquam satis horrendum ac detestandum. Ad hoc execrabile vitium e populo christiano convellendum nobiscum allaborent quantum ipsis est omnes nostri in animabus sanctificandis coadjutores. Confessarii blasphematoribus consuetudinariis suadeant, ut pro singulis blasphemix actibus, quibus forsitam posthac Deum inhonorent, aliquam sibimetipsis pœnitentiam imponant. Concionatores blasphemix malitiam diabolicam terribilesque ejusdem effectus ad captum populi declarent. Qui magistratum in oppidis et provinciis exercent, ut blasphemiam, populi dedecus et probrum, pœnis a lege

(1) *De crimine falsi*, cap. 1. =(2) Eccli. 23, 12. =(3) Jerem. 4, 2. =(4) Innocent. XI, prop. 24 et 25. =(5) Math. 5, 33. =(6) Exod. 20, 7.

permissis mulctare non omittant, in Domino atque ob Dominum obtestamur. Pii fideles, dum blasphemiam audiunt, publice Deum laudent oportet: blasphemantes increpent, prudenter tamen et in charitate: si vero nil ex correctione fraterna sperent, eos, omni timore aut respectu humano neglecto, ad auctoritatem civilem exercentes, ut puniantur, deferant. Denique valde commendamus ut *sodalitia contra blasphemiam*, tot indulgentiis a Romanis Pontificibus aucta, in oppidis saltem frequentioribus incolis instituantur, aut singulis parœciis annuatim solemnitas celebretur cum expositione Sanctissimi Sacramenti et concione ad reparandas injurias Deo et sanctis ejus a blasphematoribus illatas.



TITULUS XXIII.

De periculosis aut illicitis oblectationibus.

Placet, ajebat sanctus Augustinus (1), «sapientem interdum remittere aciem rebus agendis decenter intentam»: impossibilis namque est continuus labor; atque animus necessaria relaxatione utens promptior aptiorque fit ad vitæ officia adimplenda.

1. Cavendum tamen est ne sub recreationis prætextu apud christianos sint «aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet» (2). Quoniam mundanæ publicæ oblectationes plenæ sunt periculis, quantum possint, ab illis fugiant christifideles, ne, dum animum remittere intendunt, Dei gratiam miserrime perdant.

2. Agitationibus taurorum, quamvis sub pœna excommunicationis non, ut olim (3), hodie prohibeantur, fideles non assistere pluribus de caussis commendamus: ne autem clerici intersint, omni rigore adhibito, in sua quisque diœcesi provideant Episcopi.

3. Indigna sunt christiano profana oblectamenta, quæ ante et post dominicam quinquagesimæ, veluti quædam paganorum bacchanalium commemoratio, publice habentur: iis in diebus quibus divinæ et ecclesiasticæ leges impudentissimæ atque effrenate proteruntur, devotos fideles ad templum vocent Parochi, ut Dei indignationem placare intendant. Patresfamilias puellas suas virili veste aut personatas incedere non sinant, ne inter tot impudicitia procillas naufragium pudoris faciant.

4. Eorum agendi rationem improbamus, qui in tabernis

(1) De musica. —(2) Ephes. 5, 4. —(3) S. Pius V, ann. 1567.

vinariis aut in apothecis, vulgo dictis *cafes* et *casinos*, tempus terunt propria officia negligendo cum domesticæ vitæ ac societatis jactura. Etsi domesticorum cura et cum ceteris familiæ membris communicatio præ omni est commendanda, attamen præsertim ad operarios atque artifices ab aliis recreationis domibus abducendos ubi eorum fides et pietas discrimen subeant, eæ in populosioribus oppidis fundentur, in quibus honesta sociis recreatio offeratur.

5. Quid de choreis Sancti Patres atque ascetici scriptores uno ore dixerint, præterit neminem: saltationes autem postremis hisce temporibus inductas longe facilius præ ceteris pravos concupiscentiæ motus excitare gravioraque castimoniæ pericula utriusque sexus junioribus inferre pro comperto habetur. Dum tamen animum vertant Parochi ad choreas penitus e medio tollendas, videant ne, ob prudentiæ defectum, nedum earum frequentiam diminuunt, acribus objurgationibus forsitam augeant: ex confessionalibus ædibus, potius quam ex suggestu hac de re laborent: ad judicandum de chorearum honestate et periculis in casu particulari omnia adjuncta serio perpendantur: ceu mortaliter illicitæ in genere minime notentur, ne ob conscientiam erroneam graviter peccetur, ubi grave forte non erat peccatum: iis locis in quibus possibile non sit tripudia suppressere, eorum saltem pericula minuere singulari solertia animarum curatores satagant, suadendo parentibus, ut solas in eundo ac regrediendo puellas non sinant, atque auctoritatem civilem exercentibus, ut choreas publicas noctu duci quantum possint impediant.

6. Etiam officium histrionum, ait Angelicus, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, «non est secundum se illicitum» (1). Sine stomacho autem exprimi haud posset quantum ex hodiernis scenicis spectaculis tum religio tum boni mores damnum experiantur, quum schola corrup-

(1) 2. 2. q. 168, a 3 ad 3. um

tionis impietatisque theatrum hodie communiter sit habendum. Omnes igitur nostros in Christo dilectissimos filios cohortamur, ne publicis comœdiis intersint, quin prius de earum honestate certitudinem acquirant; valdeque commendat Synodus, ut in singulis hujus provinciæ diocesisbus cœtus virorum prudentum sapientiumque instituantur ad discernendum et publici juris faciendum quibus possint, quibus autem non possint, repræsentationibus assistere christifideles.

Nos, Fr. Gregorius, Dei miseratione et Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopus Burgensis, omnes Reverendissimos hujus Concilii Patres admonemus, ut singuli, quæ in eo decreta sunt, subscribant.

† Ego FR. GREGORIUS MARIA, *Archiepiscopus Burgensis,*
decevi et subscripsi.

† Ego RAYMUNDUS, *Episcopus Victoriensis.*

† Ego VINCENTIUS JACOBUS, *Episcopus Santanderiensis.*

† Ego FRANCISCUS, *Episcopus Legionensis.*

† Ego HENRICUS, *Episcopus Palentinus.*

† Ego JOSEPH MARIA, *Episcopus Oxomensis.*

† Ego JOANNES VILLAVERDE, *pro Diocesi Calagurritana et*
Calceatensi Procurator.





DECRETA PRÆVIA IN PRIMA SESSIONE.



DECRETUM I.

De Concilio aperiendo.

In nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos, Fr. Gregorius Maria Aguirre et Garcia, Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Ecclesiæ Metropolitanæ Burgensis Archiepiscopus, etc.

Ad majorem Dei Omnipotentis gloriam; ad honorem Ejus sine labe originali conceptæ dilectissimæ Genitricis Mariæ et B. Joseph, hujus sponsi; in laudem Sanctorum qui hanc Provinciam sua nativitate, vita, intercessione aut reliquiis nobilitarunt et illustrem reddunt; ad Burgensis, Victoriensis, Santanderiensis, Legionensis, Palentinæ, Oxomensis et Calaguritanæ Ecclesiarum decus:

Statuimus ac decernimus, de consilio et consensu Reverendissimorum Episcoporum Comprovincialium, hac ipsa die, quæ est vigesima quarta aprilis anni a nativitate Domini millesimi octingentesimi nonagesimi octavi, et Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ XIII vigesimi et primi, initium fieri et jam factum esse Concilii Provincialis Burgensis primi, quod nostra Metropolitana auctoritate die vigesima et quarta novembris indiximus et convocavimus.

DECRETUM II.

De fidei professione emittenda.

Sacrosancta Tridentina Synodus, vestigiis piæ antiquitatis insistens, præcepit, ut qui prima vice Concilio Provinciali interfuerint, ad populorum ædificationem et catholicæ fidei præsidium, hanc profiteantur, simulque hæreses omnes a sacris canonibus et a generalibus Conciliis damnatas publice detestentur et anathematizent. Jubemus itaque ut omnes qui ad hanc Synodum convenerunt, juxta præscriptam formulam, fidei professionem nunc eliciant.

DECRETUM III.

De Concilii Tridentini admissione.

civilium solemnitatibus seu formalitatibus subicere, sedulo caveant ecclesiastici iudices ne, per nimiam indebitamque imitationem formarum in laicis tribunalibus vigentium, quasi in servitutem redigant ecclesiasticorum iudiciorum normam. Ad quod præ oculis habeant documentum Cardinalis Consalvi, a Secretis Status Pii Papæ VII, qui die 9 Januarii 1802 ad postulatum 3^{um} Oratoris Hispaniæ apud S. Sedem: «Che nei »giudizi si tengano le forme e l' ordine che sono in vigore ne' »tribunali ordinarii» (1); nomine ejusdem Pontificis respondit: «E per rispetto all' introduzione ne' giudizi ecclesiastici della »pratica delle forme usate ne' tribunali Spagnoli, se trattasi »di discutere punti importanti, si sa essere stati dal *Diritto* »*Canonico* trasportati ne' tribunali civili molti modi di facilità »per dettare i giudizi e per renderli più utili. Inoltre le cause »ecclesiastiche sono di un' indole ben diversa da quella delle »civili. E la storia c' insegna che giammai i giudici civili non »hanno meritato tanti elogi, come allora quando hanno essi »adottate ne' loro giudizi le forme dei giudizi religiosi» (2).

Art. 6, tit. XI, p. II, pag. 118.

Circa finem, seu a verbis *nisi in aliqua Diœcesi*, etc. — Agitur de mera tolerantia, quæ, datis adjunctis et totius articuli contextu, ad tempus tantum admitti potest. Imo Curia ecclesiasticæ, ubi vigeat talis tolerantia, in casibus particulâribus qui recursum directum ad proprium Episcopum vel

(1) «Que en los juicios se observen las formas y el órden que están en vigor en los tribunales ordinarios».

(2) «Con respecto á introducir en los juicios eclesiásticos la práctica de los procedimientos usados en los tribunales españoles, si se trata de discutir asuntos importantes, sabido es que del Derecho Canónico pasaron á los tribunales civiles muchos modos de tramitar mas fácilmente los juicios y de hacerlos mas útiles y seguros. Además, las causas eclesiásticas son de indole muy diversa de la de las civiles. Y la historia enseña que jamás los jueces civiles merecieron tantos elogios, como cuando en sus tribunales adoptaron las formas de los juicios religiosos».

necessarium vel opportunum suadeant, non solum possunt Procuratorum seu Negotiorum Gestorum interventionem excludere, sed et debent; nam, salus animarum et expedita communicatio fidelium cum suis Pastoribus, personarum quarumcumque temporalibus commodis et lucris præferenda omnino est. Unde perperam invocaretur tolerantia, de qua agitur, contra libertatem Pastorum et utilitatem animarum ipsis commissarum.

Art. 10, tit. XII, p. II, pag. 124.

Sciant omnes Sacerdotes novam prodiisse collectionem decretorum Sacrorum Rituum Congregationis sub titulo *Decreta Authentica Congregationis Sacrorum Rituum*, quæ multipliciter modificavit antiquas collectiones, quæque vim legis habet etiam contra decreta quæ in aliis collectionibus leguntur.

Art. 4, tit. XIV, p. II, pag. 132.

Periodus *Quamobrem* continet normam *mere directivam* capitularibus statutis inserendam. Ad vitandam autem illegitimitatem actorum, illa *designatio provisoria* expresse admitti debet vel rejici a Capitulo toties quoties sedes vacaverit. Non enim in re tanti momenti norma *mere directiva* jura et officia Canonorum pro tempore existentium vulnerare debet.

Art. 4, tit. XV, p. II, pag. 135.

Cum disciplina Ecclesiæ circa præcedentiam Vicariorum foraneorum normam habere debeat ex decretis in nova *Collectione Authentica* editis, Archipresbyteri, quoad præcedentiam ratione sui Vicariatus foranei, præ oculis habeant decreta Sacrorum Rituum Congregationis, quæ edita sunt in præfata collectione authentica sub num.^s 43 et 1264, necnon art.^{um} 253 Concilii Plenarii Americæ Latinæ, qui sic se habet: «Denique Episcopi non possunt præcedentiam super alios sacerdotes,

vel speciales honores, in ecclesiis, Vicariis Foraneis, uti talibus, concedere. Siquidem Vicario Foraneo, ratione sui Vicariatus, nulla super sacerdotes ipso antiquiores et digniores præeminentia in choro aut in publicis processionibus competit, nec ullum jus ecclesiasticas functiones obeundi ratione Vicariatus; sed ipsi tamquam simplici sacerdoti locus inter alios, juxta receptionis suæ tempus, est assignandus (S. R. C. 14 Dec. 1593, n. 43), non obstante quacumque Episcopi in contrarium provisione, vel quibuscumque decretis synodalibus, neque obstante consuetudine contraria, etiam immemorabili (S. R. C. 16 Jun. 1663, n. 1261): et ejusmodi præscriptiones habent locum, tam in actibus sacerdotalibus, quam in aliis actibus, in quibus iidem Vicarii Foranei assistunt uti Vicarii. Præcedentia tamen ipsis debetur, si quando aliquibus clericorum congregationibus intersunt tamquam *delegati Episcopi*».

Art. 3, tit. II, p. III, pag. 191.

Infantes expositi, qui hic *absolute* baptizandi dicuntur, illi sunt de quibus certis atque positivis indiciis constat minime baptizatos fuisse. Cæteri autem expositi, sive schedam habeant sive non, *sub conditione* baptizandi sunt, non autem absolute, juxta præscriptum Ritualis Romani de Baptismo, ubi dicitur: «Infantes expositi et inventi, si, re diligenter investigata, de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur».

Art. 3, tit. VIII, p. III, pag. 220.

Verba «*aliquid contra reverentiam Sacramenti facturos esse præsumatur*», non eximunt parochos aliosque animarum pastores ab obligatione curandi totis viribus ut illi amentes Sacramentum Extremæ-Uctionis suscipiant; cautela enim hujus articuli, ad tutamen reverentiæ Sacramenti, respicit mo-

mentum quo timetur nec removeri potest irreverentia; ideoque præ oculis habenda est doctrina S. Alphonsi (Theol. Moral. lib. vi, tract. v, n. 732) aliorumque auctorum qui fortiter etiam tenendos aut ligandos esse censent, ut tanto remedio in tanta necessitate careant, amentes certo vel dubie doli capaces.

Art. 3, tit. XII, p. III, pag. 236.

Quoniam agitur de re maximi momenti, expedit ut præ oculis habeatur ipse textus decreti S. Officii 20 Februarii 1888, videlicet:

«Ad primum quod attinet, re serio diligenterque perpensa, adprobatoque et confirmato Emorum. Patrum una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine, et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente.—Mens autem est ejusdem Sanctitatis Suæ, ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis qui sacro subdiaconatus aut diaconatus Ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emisierint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus Ordinarii de impertita dispensatione Supremam Sancti Officii Congregationem certiores faciant, et interim omni ope curent ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, injungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutare pœnitentias atque eam vitæ rationem quæ

præteritis excessibus redimendis apta videatur, quæque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum».

Item Decreta S. Officii 9 Jan. 1889 et 23 April. 1890:

«Ille. ac Rme. Domine: Supremæ huic Congregationi Sancti Officii propositum fuit dubium: «Utrum Ordinarii in casibus extremæ necessitatis facultatem dispensandi super impedimentis publicis matrimonialibus in mortis periculo, litteris Supremæ Congregationis die 20 Februarii 1888 concessam, parochis et universim confessariis adprobatis modo generali subdelegare valeant, an non». Quo dubio mature perpenseo, Emmi. Patres una mecum Generales Inquisitores fer. iv, die 9 Januarii 1889, dixerunt: «Supplicandum Sanctissimo ut decernere et declarare dignetur Ordinarios, quibus memorata facultas præcitatis litteris diei 20 Februarii 1888 data fuit, posse illam subdelegare habituabiliter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora». Eadem feria ac die Sanctissimus D. N. Leo divina providentia PP. XIII in solita audientia R. P. D. Adessori S. O. impertita benigne annuere dignatus est juxta Emmorum. PP. suffragium. Hæc tibi dum nota facio, fausta cuncta ac felicia precor a Domino. Datum Romæ ex S. O. die 1 Martii 1889. — *R. Card. Monaco*».

«Vicarius generalis N..., ad pedes Sanctitatis Tuæ provolutus, sequentium dubiorum solutionem perhumiliter expostulat, nempe: «Litteris S. Officii datis die 20 Februarii anno 1888, concessa est locorum Ordinariis facultas dispensandi, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus Ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente. Decreto vero lato fer. iv, die 9 Jan. 1889 declaratum est Ordinarios, quibus memorata

facultas præcitatæ litteris diei 20 Februarii data fuit, posse illam subdelegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora. Jam igitur quæritur:

1° Utrum S. Congregatio per verba «*super impedimentis quantumvis publicis*» confirmare intenderit communem theologorum et præsertim S. Alphonsi sententiam, quæ habet posse Episcopos in casibus urgentis necessitatis dispensare super impedimentis occultis, eamque facultatem veluti ordinariam probabiliter delegare etiam generaliter, ita ut mens Congregationis fuerit significare, Episcopos a fortiori ab impedimentis occultis prædictis dispensare posse?

2° Utrum in gravissimo mortis periculo, coadjutores parochi, quando ob ingentem parochiarum illius dioecesis amplitudinem ad eum recurrere non possunt, nomine parochi ab impedimentis publicis dispensare valeant?

3° Utrum in decreto die 9 Jan. 1889 nomine parochorum veniant etiam vicarii temporales qui post obitum parochorum vel in eorum absentia sufficiuntur?

Feria IV die 23 Aprilis 1890. — In Congregatione Generali S. R. U. Inquisitionis habita per EE. et RR. DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales propositis suprascriptis dubiis, ac præhabito RR. Consultorum voto, iidem EE. et RR. Patres rescribi mandarunt: Ad I. *Ex vi decreti, affirmative pro mortis articulo.* Ad II. et III. *Detur responsum hac eadem feria datum R. P. D. Abbati Sanctissimæ Trinitatis Caven., quod est sequens, scilicet: Propositis a R. P. D. Abbate supra laudato sequentibus dubiis:*

I. An sub nomine parochorum in subdelegatione facultatis, de qua in precibus, intelligendi sunt etiam vice parochi vel œconomi curati ad nutum amovibiles, in quibus parocæiis parochi stricte sumpti ac vere nominis non sunt creati? Et quatenus negative,

II. Utrum saltem in dioecesibus in quibus, sicut in abbatia *Nullius Sanctissimæ Trinitatis Caven.*, ex privilegio vel antiquissima ac immemorabili consuetudine nonnullæ sunt parœciæ quarum curati tamquam Vicarii Abbatis sunt instituti sub nomine œconomi vel archipresbiteri curati ad nutum amovibiles, ad hos quoque possit extendi?

Emi. Dni. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales prædicta die ac feria rescribi mandarunt: Ad I. *Comprehendi omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis viceparochis et capellanis.* Ad II. *Provisum in præcedenti.* Eadem feria ac die, facta de his Smo. D. N. Leoni PP. XIII relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum. Patrum approbavit et confirmavit. I. MANCINI, *S. R. et U. I. Not.*»

Art. 1.º, tit. XVII, p. III, pag. 251.

Rem illustrat decretum Sacrorum Rituum Congregationis 15 Dec. 1899, ad 2^{um}, num. 4054: «URBIS. Quarumdam Ecclesiarum Rectores insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter expostularunt, nimirum:

Dubium I. Utrum in Ecclesiis Collegialibus aspersio aquæ benedictæ de præcepto sit præmittenda Missæ Conventuali quæ canitur in Dominicis, sive cum Diacono et Subdiacono, sive absque sacris ministris? Et utrum in Ecclesiis non Collegialibus eadem aspersio præfatis diebus fieri saltem possit?

Dubium II. In Ecclesiis alicui Religiosæ Familiæ concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenenturne sequi Calendarium ejusdem Familiæ proprium, si habeatur?

Dubium III. Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quæ non Religiosæ Familiæ, sed tantum alicui personæ privatæ, etsi ad eandem Familiam pertinenti, commisæ sunt?

Dubium IV. Utrum officia ad libitum infraoctavas quas-cumque occurrentia recitari valeant?

Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit: Ad I. «Affirmative, ad utramque partem». Ad II. «Affirmative». Ad III. «Negative». Ad IV. «Negative». Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 15 Decembris 1899».

Art. 8, tit. XXI, p. III, pag. 265.

Tota disciplina de oratoriis maxime illustratur per decretum Sacrorum Rituum Congregationis 23 Jan. 1899, editum in nova Collectione authentica sub num. 4007; quod præ oculis habendum est, cum Decreto in una Nivernen. 8 Martii 1879, in illo confirmato, hujusmodi tenoris:

3484.—NIVERNEN. Rmus. D. Stephanus Antonius Lelong, Episcopus Nivernen., quæ sequuntur Sacræ Rituum Congregationi exposuit, opportunitam declarationem seu resolutionem humillime exostulans; videlicet:

I. Potestne Episcopus iure ordinario concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi:

1. In Capellis seu Oratoriis piarum Communitatum, etiam earum quæ clausuram non habent;

2. In Cappellis seu Oratoriis piarum Communitatum, quæ licet non habeant ingresum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis;

3. In Cappellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quæ sunt publica vel semipublica, eò sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam, ita ut semper cuilibet volenti intrare permittatur?

II. Potestne Episcopus alia Oratoria præter Cappellam seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus; sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit; sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Cappellam seu Oratorium principale?

III. Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi Smum. Sacramentum:

1. In Ecclesiis seu Cappellis publicis quæ tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Parœciæ inserviant;

2. In Cappellis piarum Communitatum publicis, id est, quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante, et quæ habitantibus omnibus aperiuntur;

3. In Cappellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Capellam seu Oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis?

IV. Potestne Episcopus iure proprio licentiam concedere uni Sacerdoti secundam Missam diebus Dominicis aut festivis de præcepto celebrandi:

1. In Oratoriis seu Cappellis quæ a S. Sede vel vi indulti ab ea concessa fuerunt approbata, quando propter distantiam a parochiali Ecclesia ista secunda Missa proficere potest voto parochianorum qui aliter Missam non audirent vel saltem difficillime;

2. In duabus Ecclesiis in eadem Parochia existentibus, quando pro utraque deservienda unicus adest Sacerdos et tamen non sine detrimento religionis Missa in una tantum celebraretur;

3. In eadem Ecclesia, quando aliter pars sat notabilis parochianorum Missam non audiret;

4. Quando valde utilis est, vel etiam necessaria ista secunda Missa ut communicari a fidelibus cum majori facilitate et ædificatione frequentius possit?

Sacra itaque Rituum Congregatio, referente eiusdem Secretario, hisce postulatis sic respondit:

Ad I. «Episcopus utatur iure suo in omnibus casibus expositis».

Ad II. «Si porro ex piarum Communitatum conditione necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro eius erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda».

Ad III «Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omnia postulata».

Ad IV «Posito quod Episcopus iam facultatem obtinuerit a S. Sede ad concedendum Sacerdotibus suæ Diocesis indultum bis in die festo Sacrum litandi, erit suæ prudentiæ hac speciali facultate in casu necessitatis pro populi bono uti; si vero eiusmodi facultate ipse non sit instructus, eam impetrare poterit». Atque ita respondit ac declaravit. Die 8 Martii 1879.

—Decretum vero diei 23 Januarii 1899 ita se habet:

4.007. DECRETUM SUPER ORATORIIS SEMIPUBLICIS.

«A Sacra Rituum Congregatione sæpe postulatum est quænam Oratoria ceu semipublica habenda sint. Constat porro Oratoria publica ea esse, quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum. Privata e contra stricto sensu dicuntur Oratoria, quæ in privatis ædibus in commodum alicujus personæ vel familiæ ex indulto Sanctæ Sedis erecta sunt. Quæ medium inter hæc duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur.

Ut autem quælibet ambiguitas circa hæc Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit: Oratoria semipublica ea esse, quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen Fidelium omnium nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicuius communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missæ sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Huius generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium,

aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Cappellæ in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat.

Voluit autem Sanctitas Sua sarta et tecta iura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Emi. S. R. E. Cardinales, Rmi. Sacrorum Antistites atque Ordines Congregationesque Regulares. Ac præterea confirmare dignata est Decretum in una Nivernen. diei 8 Martii 1879. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Januarii 1899. — C. Ep. Prænest. Car. Mazzella, S. R. C. Præfectus. — Diomedes Panici, S. R. C. Secretarius».

Art. 4, tit. XXI, p. III, pág. 265.

Quoad suicidas, omnino servetur Decretum S. Officii 16 Maji 1866, quo materia istius articuli plurimum illustratur, videlicet: «Se sia lecito di dare sepoltura ecclesiastica, e celebrare solenni esequie e Messa pei suicide» (1).

«Responsum. Moneantur parochi et misionarii ut in singulis casibus quibus præsens dubium refertur, recurrant, quoad fieri potest, ad Ordinarium. Regula (autem) est, non licere dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem signa dederint pœnitentiæ. Præterea quando certo constat de iracundia vel desperatione, negari

(1) Si es lícito dar sepultura eclesiástica á los suicidas, y celebrar solemnes exequias y Misa por los mismos.

debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompæ et solemnitates exequiarum. Quando autem certo constet de insaniam, datur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum. Quando tandem dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis autem pompis et solemnitatibus exequiarum». (Collectanea S. Cong. de Prop. Fide, n. 1605).

Art. 6, tit. XXI, p. III, pag. 266.

An et quo sensu polluitur cœmeterium per sepulturam indignorum, plena enumeratione dicitur in art. 924 Conc. Plen. Amer. Latinæ, quem ex integro transcribendum censemus: «Cœmeterium iisdem modis polluitur quibus ecclesiæ pollui dicuntur; atque polluta ecclesia, etiam cœmeterium polluitur, si illud ecclesiæ sit contiguum; attamen ex sepultura indignorum cœmeterium fit pollutum, non solum si infideles, sed etiam si hæretici, apostatæ, schismatici eorumque fautores publice denunciati, aut excommunicati vitandi in eo sepeliantur».

Tit. II, p. IV, pag. 272.

§ *Propter*.—Singulæ sacratissimæ Humanitatis Christi partes, quia uni personæ Christi hypostatice unitæ sunt, adorandæ quidem sunt supremo patriæ cultu; sed in formulis devotionis cavendum est ab abusibus de quibus agitur in variis Apostolicæ Sedis declarationibus, præsertim in Decreto S. Officii 4 Maji 1892 circa specialem cultum Vultus Divini Redemptoris, ubi dicitur»:

«*Dubium I.* Utrum approbari vel saltem permitti conveniat specialem cultum Vultui adorabili Divini Redemptoris, et ab illo consueto usque adhuc sancti Vultus imagini tributo, diversum, a sacerdotibus a sancto Vultu (*sainte face*) dictis, Turonibus institutis, maximopere propagatum per annales relatæ archisodalitatis?

Dub. II. Utrum ad propagandum stabiliendumve cultum, de quo in altero quæsitu, Ecclesiam aut publicum Orationarium dedicari, sodalitates ac etiam aliquam religiosam congregationem vel Institutum sub titulo sancti Vultus fundari conveniat?»

«Emi. ac Rmi. Dni. Cardinales in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, re mature perpensa, respondendum mandarunt: Ad Dubium I: *non expedire*. Ad Dubium II. *negative; et ad mentem*. Mens est: sancta Sedes titulum adoptans *sancti Vultus*, tum in Brevi diei 16 Decembris 1884, speciales indulgentias sodalitati sub tali titulo Turonibus erectæ concedente, tum in Brevi diei 30 Martii 1885, sodalitatem ad archisodalitatis gradum elevante, favere minime intellexit, multoque minus sive directe sive indirecte approbationem dare speciali distinctoque cultui adorabili Vultui Redemptoris tribuendo, eo modo quo a Presbyteris a *Vultu sancto* dictis speciatiim proponitur atque propagatur. Sancta Sedes unice venerationi favere intellexit, jam ab antiquis temporibus erga Imaginem Vultus Divini Redemptoris aut ejusdem imaginis exemplaria habitæ; ut in fidelium mentibus, ex veneratione contemplationeque prædictæ imaginis, passionum Christi magis in dies memoria succrescat, eorumque in cordibus dolor culparum, ardensque desiderium injuriis divinæ majestati illatis reparandi augeantur. — Sequenti vero feria V, facta de his Smo. D. N. Leoni PP. XIII relatione in audientia R. P. D. Assesori S. Officii impertita, eadem Sanctitas Sua Emorum. Patrum resolutionem approbare dignata est».

Tit. X, p. IV, pag. 299.

Hic titulus, qui totus est de cantu in Ecclesia, omnino intelligendus est, ampliandus et modificandus, juxta notissimas regulas et normas de Musica Sacra a SS. D. N. Pio Papa X promulgatas.


Art. 1, tit. XII, p. IV, pag. 307.

Sciant etiam parochi quod, ex speciali privilegio S. Sedis, nonnullæ aliæ Confraternitates erigi possunt in omnibus Paroeciis etiam ejusdem loci, ut sodalitates SS. Cordis Jesu et Filiarum Mariæ.

Art. 2, tit. XVIII, p. IV, pag. 328.

Ut fideles condiciones et normam sciant indulgentiæ plenariæ a Leone XIII concessæ, de qua agitur in hoc articulo, documentum concessionis inserendum judicamus, ut sequitur: «Smus. D. N. Leo PP. XIII, in audientia habita die 15 Maji 1897 ab infrascripto Card. Præfecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, benigne annuit pro gratia, ita ut fideles Ditionis Hispanicæ, qui S. Misæ Sacrificio quinques in singulis anni mensibus vel sexaginta per annum vicibus deservierint, lucrari valeant bis in anno, diebus cujusque arbitrio eligendis, plenariam indulgentiam; dummodo hisce diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquandiu oraverint ad mentem Sanctitatis Sux. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem S. Congnis. die 15 Maji 1897. — Fr. Hieronymus M^a, Card. Gotti, Præf. — Locus sigilli. — A. Archiepus. Nicopolit., Scrius.





APOSTOLICA REVISIO
ATQUE
PROMULGATIO CONCILII.

LITTERÆ

QUIBUS CONCILII PROVINCIALIS BURGENSIS ACTA ET DECRETA APOSTOLICÆ SEDIS EXAMINI ET RECOGNITIONI A RMIS. METROPOLITA AC SUFFRAGANEIS FUERUNT SUBJECTA.

BEATISSIME PATER:

Ut tuis votis faceremus satis, qui non semel Tridentini præcepti exsequutionem commendavisti, Apostolica benedictione prius accepta, scientesque propositum nostrum de Concilio celebrando gratum Tibi extitisse, in unum solemniter convenimus, ut Synodorum Provincialium Burgensium seriem inchoaremur, quamvis ad tanti operis complementum impares omnino nostras esse vires minime nos fugeret.

Libentissime ad tam multi, quum ob momentum tum ob novitatem, negotii labores nos accinximus, ut occasionem nancisceremur nostra in Te sensa palam faciendi. Hujus sciunt Provinciæ fideles, ex corde nos Tibi, a beneficii immemoribus filiis multipliciter injuriis affecto, condolere, quasi opprobria exprobandium caderent super nos; politicum Tuum principatum ac libertatem strenue pro viribus vindicare, invictum in periculis animi robur, prudentiam in Ecclesiæ universalis gubernatione, in scriptis sapientiam et in vita sanctitatem summe æque ac sincere suspicere; et supremam dignitatem potestatemque in Principis Apostolorum persona a Christo Domino acceptam obsequentissime vereri. Nostram autem observantiam submissionemque solemnem hac ratione testatam cupiebamus, et jucundum admodum nobis erat Tibi in sexagesimo primæ celebratæ Missæ anniversario Synodales Constitutio-

nes, in quibus nostri animi sensus illi constant, posse dicere et offerre gratulationis ergo atque in filialis amoris pignus.

Eas ergo, cum relatione omnium quæ in Synodo facta fuere, ad Te nunc transmittimus; non verum ad instar obsequii tantum vel in grati animi testimonium, sed ne officio desimus. Magister infallibilis quum sis, prædicationem nostram Tecum conferre debemus, ne forte in vacuum curramus: ut fiat unum ovile, quæ ad gregis nostri salutem constituimus, Tibi nota reddere opus est, cui agnos et oves pastoresque ipsos dirigendos ac tutandos Redemptor commisit: fidelium bonum, religionis decus, Dei gloriam in actis et decretis synodalibus ob oculos semper habuimus; qui tamen in supremo Ecclesiæ fastigio considis, ejus doctrinæ et moribus quod magis consonet præ omnibus perspicias. Si muneris nostri non esset Provincialis Concilii decreta judicio Tuo supponere, ut correctione digna a Te immutentur aut demantur, id fieri vehementissime nos expeteremus; sic namque, quæ ignorantia aut oscitatio nostra illis admiscuerit, delerentur; et quæ manerent, auctoritate Tua munita, majorem sibi a fidelibus venerationem optimo jure conciliarent.

Benedictionem, qua opus nostrum auspicati sumus, dum illud, Deo adjutore, absolvimus, atque ad Te, quantumcumque fuerit, humillime deferimus, super nos effundas suppliciter efflagitamus, qui, genibus flexis, sanctissimos Tuos pedes amplectimur, eos osculantes,

Burgis 4 Maji 1898,

Tanquam addictissimi ac devotissimi filii et servi,

FR. GREGORIUS MARIA, *Archiepiscopus Burgensis.*

RAYMUNDUS, *Episcopus Victoriensis.*

VINCENTIUS JACOBUS, *Episcopus Santanderiensis.*

FRANCISCUS, *Episcopus Legionensis.*

HENRICUS, *Episcopus Palentinus.*

JOSEPH MARIA, *Episcopus Oxomensis.*

JOANNES VILLAVERDE, *pro Diocesi Calagurritana et Calceatensi Procurator.*

LITTERÆ

QUIBUS EMINENTISSIMUS CARDINALIS SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII
PRÆFECTUS SYNODI PROVINCIALIS ACTA ET DECRETA REDDIT AB EADEM
SACRA CONGREGATIONE REVISA.

Perillustris ac Reverendissime Domine uti Frater: Cum in Sacra Congregatione Concilii relatum fuerit pro examine Concilium Provinciale Burgense, Eminentissimi Patres, voto Eminentissimi Cardinalis Josephi Vives et Tuto ultro adhærentes, et laudarunt opus et illud evulgari posse recognoverunt, adjectis tamen ab Amplitudine Tua Reverendissima, sicut ab ipso Concilio potestas facta Tibi fuit, nonnullis instructionibus et declarationibus, quæ opportuna esse videntur et de quibus mentio fit in adnexo folio.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, in audientia diei 28 hujus mensis infrascripto Cardinali Præfecto concessa, rebus omnibus cognitis, ratam habuit et confirmavit Sacræ Congregationis resolutionem; simulque Tecum et cum Reverendissimis Suffraganeis Tuis ex animo gratulatur de momentoso opere in utilitatem Ecclesiæ, ad ædificationem fidelium, ad conservationem et restaurationem ecclesiasticæ disciplinæ, tanto studio, diligentia et amore ad finem perducto; Tibique et omnibus Concilii Patribus Apostolicam benedictionem peramanter impartitur.

His Tibi læto animo significatis, me profiteor Amplitudinis Tuæ Reverendissimæ,

Romæ 31 Martii 1905,

Uti Frater studiosissimus,

† VINCENTIUS, Card. Ep. Prænest. Præf. — C. DE LAI,
Secretarius.

Burgensi Reverendissimo Archiepiscopo.

LITTERÆ

PUBLICATIONIS CONCILII PROVINCIÆ BURGENSIS.

FR. GREGORIUS MARIA AGUIRRE ET GARCIA,
DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ARCHIEPISCOPUS BURGENSIS,

Universis nostræ Provinciæ clericis et Christi fidelibus,
salutem plurimam in Domino.

Quod, Nobis quidem dicta audientes, ab omnium Datore enixe flagitavistis, ut nempe secundo exitu Concilium Provinciale Burgis tandem peragi posset, hoc Supremi Numinis largitas, cui soli honos sit et gloria, adfatim tribuit. Episcopi Comprovinciales, queis Synodum cogendi propositum consilium valde arriserat, et jucundum oppido fuit arduis ejusdem laboribus, collatis studiis operisque, pectore toto incumbere, Nobiscum una convenere, cum suis a consultationibus theologis et canonistis necnon Capitulorum procuratoribus, atque in Metropolitana Ecclesia, coram magna gaudentis populi frequentia et in hunc potestatem gerentibus, Omnipotenti Deo grates maximas licuit pendere, quod prospere fortunateque conventus cessisset.

Cum nullum a toto retro tempore hujus Provinciæ habitum fuisset Concilium, de pluribus nunc agere argumentis visum fuit expedire, sic tamen ut futuris quæ Deo secundo edicenda sunt, materia tractationis utilissima minime deesset. De fide itaque orthodoxa atque erroribus præcipuis ei adversantibus, de eadem tuenda et periculis cavendis, de superstitionibus, de societatis a Christo institutæ hierarchia, de bonis

ecclesiasticis, de consociationibus clandestinis, de scriptoribus catholicis, de fidelium concordia, de auctoritati civili debita obedientia, de cultus religiosi necessitate ac forma, atque de aliis similibus disserendum erat, quum tantopere deceat adeo necessario rei christianæ tempore arma christifidelibus porrigere, quibus impiorum hominum retundere possint letifera tela, parati semper ad satisfactionem (1) omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe; nec filiale studium, quo omnes Christi Vicario arctissime ac tota anima adhæremus, nos sinebat obiter tantum ejus privilegia ac jura attingere.

At vero, ex salutari admodum priscarum Synodorum more, cura præsertim adhibenda erat de populo ad christianæ vitæ disciplinam adducendo, et de cleri sanctitudine fovenda; ideoque nihil mirum si in id veluti in scopum suum Patrum hujus Concilii opera respiceret, quod non pauca notum faciunt condita decreta de status clericalis perfectione, de iis quæ maxime a sacerdotibus agenda sunt aut vitanda, de ipsorum scientia promovenda, de hujus ministerii candidatis educandis atque erudiendis, de diversis muneribus ecclesiasticis studiose obeundis, de recta sacramentorum et administratione et susceptione, de vitiis a populo fugiendis, de virtutibus sectandis, de mediis per quæ pristina pietas apud fideles refloresceret, de singulorum obligationibus quæ ad bonum publicum spectant implendis, de officiis erga Deum præstandis, ceterisque, quæ ad Hujus gloriam, Ecclesiæ decorem, societatis civilis profectum, proximique utilitatem magis conducere fuit arbitratum.

Lingua latina quum hujusmodi in Constitutionibus sit utendum, sermonem, quin alieni idiomatis indolem nostri naturæ omnino aptare intenderetur, planum ac simplicem, quoad ejus fieri posset, prout moris est in id genus scriptis, extra omnem dubietatis aleam usurpari juvabat. Non plura nova et

(1) S. Petr. III, 15.

particularia decernere, immo potius ab Ecclesia Romana et a Sanctis Patribus jussa vel monita in memoriam revocare atque in rem deducere contendere placuit, verba plurimum ad litteram transferendo et loca ubi inveniuntur indicando, ad majus legentium commodum, minime autem inanis multiplicis doctrinæ venditandæ ergo: eadem de causa, necnon ut magis magisque ac leviori negotio ad jussis morem gerendum animi allicerentur, pluries, etsi ea qua par erat orationis brevitate, rationum momenta allata fuerunt quibus illa innitebantur.

Synodales Constitutiones, haud absque aliquantum laboris digestæ et concinnatæ, verum nullius laudis, si illius tantummodo, non autem recti, quo conditæ sunt, consilii ratio habeatur, ad Apostolicam Sedem mittere festinavimus; quod nec aliter fecerimus, licet ab ea, Sixto V, ordinis profecto Sancti Francisci Assisiensis fulgentissimo decore, regnante, non fuerit statutum; probe enim tenemus quod Beatus Petrus, petra nempe infrangibilis, ut eum vocat Origenes, *«semper in propria sede et vivit et præsidet, ut præstet quærentibus fidei veritatem»*, prout effatur Sanctus Petrus Chrysologus, et *«judicium exercet»*, dicente Concilio Ephesino, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquens —verba sunt Divi Leonis Magni— *«ut omnes proprie regat Petrus, quos proprie regit et Christus»*.

Quod Christi Vicarius permisit, quod eidem placuit, hoc solummodo publici juris facimus. Nam, ut verbis utamur Gelasii Papæ, *«quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem»*, et cum legatis Adriani II in octavo Concilio œcumenico loquentes, *«nobis non licet rescindere judicium Sacrorum Romanorum Pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutis»*. Nos igitur audientes, Filii dilectissimi, audietis Episcopos adhærescentes Cathedræ illi, adversus quam, prout Sancti Patres dictitant, nunquam prævalituræ sunt superbæ

inferorum portæ, et solidatos in Petra illa, principali fidei et confessionis Apostolicæ firmamento, a Deo fixo et immobili, ex cujus firmitate firmitas pendet Episcoporum et Episcopatus.

Non itaque sumus nos qui loquimur, sed Ecclesia Christi loquitur in nobis. Verba ipsa Divini Magistri, quantum sese obtulit occasio, usurpamus, et quæ Sponsa Ejus multifariam docuit, excerpimus et collegimus ad vestram omnium utilitatem. Quodammodo nostra facere possumus verba Moysi, legem proponentis coram filiis Israel (1): *Hæc sunt præcepta et cæremoniæ atque judicia quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos et faciatis ea. Sumite ergo volumen in manus vestras* (2): *meditamini in eo diebus et noctibus* (3): *facite quæ in illo legatis* (4): *custodite omnia verba legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine* (5), *et non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram* (6).

A sacerdotibus omnibus Nostræ ditioni Metropolitanæ subditis, cum regularibus tum secularibus, quodcumque in domus Dei dispositione ordinatissima ministerium exerceant, quippe quorum ex ore legem requirent (7) fideles, in Domino certa fiducia nitimur eorum Episcopis operam perquam sollertem, quacumque valent ratione et ope, collatum iri, ut synodales hæ sanctiones adamussim in exsequutionem mandentur: id potissime ab animarum curatoribus præstari Nobis in votis est, et optata Nostra, adspirante Deo, explenda læta sane spe tenemur. Ut autem ab omnibus ad quos spectant teneantur ac serventur Concilii statuta, quæ ceu legem universæ Burgensis Provinciæ, auctoritate Nostra Metropolitana, nunc vulgamus, in cujus et singulis diocæsisibus, in Synodo vel extra si illa tempestive cogi nequiret, ab Antistite proprio erunt promulganda, Deum, suffragatoribus interpositis Superum Re-

(1) Deuter. vi, 1. — (2) Jerem. xxxvi, 14. — (3) Jos. 1, 8. — (4) II Paralip. xxxiv, 31. — (5) Deuter. xxviii, 58. — (6) Jos. xxiii, 6. — (7) Malach. ii, 7.

gina, Sanctis Præstitibus queis merito gloriatur Provincia et Cœlitibus omnibus, supplices etiam atque etiam oramus.

Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Charitas nostra cum omnibus vobis in Christo Jesu (1). Amen.

Datum Burgis, sub signo sigilloque nostris, ac Secretarii Archidiœcesis subscriptione, anno reparatæ salutis millesimo nongentesimo quinto, mensis Maii die secunda.

† FR. GREGORIUS MARIA, *Archiepiscopus Burgensis.*



De mandato Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi:

Lic. Emmanuel Rivas,

Canonicus, Secretarius.

(1) S. Cor. xvi, 23-4.

ERRATA CORRIGENDA.

Pág.	Linea.	Errata.	Corrige.
4	13	startibus	stantibus.
4	49	hinnim	hinnum.
15	25	reguantis	regnantis.
23	8	ignoræ	ignaræ.
34	9	statum	statutum.
40	22	non titulum	plerumque non titulum.
128	nota 3	Reg. decr.	Reg. decr. concord.
130	49	quæ vigent	quæ etiam civiliter vigent.
131	2	S. C. U. I. die 25	Card. Urbis Vicarii die 26.
141	21	monibus	omnibus.
147	tit.	estatutu	statu.
215	27	adventate	adventante.
343	19	impudentissimæ	impudentissime.
405	6	art. 8, tit. XXI, part. III, pag. 265.	art. 8, tit. XVIII, part. III, pag. 256.

INDEX.

ACTA CONCILII.

	<u>Pag.</u>
Indictio primi Concilii Provincialis Burgensis.	VII
Allocutio habita ab Excmo. ac Rmo. D. Fr. Gregorio Maria Aguirre et Garcia, Archiepiscopo Burgensi, in solemni sessione prima.	XI
Allocutio in primo Concilio Provinciali Burgensi ab Excmo. ac Rmo. D. D. Henrico Almaraz et Santos, Episcopo Palentino, habita	XV
Allocutio habita in tertia et postrema sessione primi Concilii Provincialis Burgensis ab Excmo. ac Rmo. D. Doctore D. Joseph Maria Garcia Escudero et Übago, Episcopo Oxomensi.	XXV
Allocutio Excellentissimi ac Reverendissimi Metropolitan in fine Concilii.	XXXI
Acclamations Synodo absoluta decantatæ.	XXXV
Instrumentum de actis.	4

DECRETA CONCILII.

Monitum.	9
------------------	---

PARS PRIMA.

De Fide Orthodoxa.

TITULUS I. De fide profitenda	9
TIT. II. De fidei prædicatoribus.	42
TIT. III. De prædicatione parochiali.	46
TIT. IV. De sacris missionibus.	49
TIT. V. De aliis prædicationibus extraordinariis.	22

	<u>Pag.</u>
TIT. VI.	De pueris in doctrina christiana erudiendis 24
TIT. VII.	De institutione religiosa in scholis primariis. 28
TIT. VIII.	De institutione religiosa in scholis superioribus 32
TIT. IX.	De scriptoribus catholicis. 36
TIT. X.	De bonis libris divulgandis 39
TIT. XI.	De approbatione librorum. 41
TIT. XII.	De libris vetitis 44
TIT. XIII.	De protestantismo 47
TIT. XIV.	De liberalismo. 50
TIT. XV.	De aliis nostræ ætatis erroribus 54
TIT. XVI.	De socialistarum sectis 58
TIT. XVII.	De massonismo 62
TIT. XVIII.	De magnetismi et spiritismi superstitionibus 66
TIT. XIX.	De vulgaribus superstitionibus. 69
TIT. XX.	De consortio fidelium cum alienis a fide. 72

PARS SECUNDA.

De personis sacris.

TITULUS I.	De Romani Pontificis potestate. 75
TIT. II.	De Romani Pontificis magisterio 79
TIT. III.	De Romani Pontificis civili principatu . 83
TIT. IV.	De catholicorum erga Sanctam Sedem officiiis. 88
TIT. V.	De Romano Pontifici eleemosynis subveniando. 91
TIT. VI.	De Metropolitano. 94
TIT. VII.	De Concilio Provinciali. 97

	<u>Pag.</u>
TIT. VIII.	De Episcopis. 400
TIT. IX.	De Synodis Diœcesanis 406
TIT. X.	De officio Vicarii. 444
TIT. XI.	De ceteris Tribunalis Episcopalis personis 445
TIT. XII.	De Canonicis et Beneficiatis 420
TIT. XIII.	De Capituli Cathedralis cum Episcopo relationibus 426
TIT. XIV.	Ne Sede vacante aliquid innovetur . . . 430
TIT. XV.	De officio Archipresbyteri. 434
TIT. XVI.	De Parochis. 438
TIT. XVII.	De Parochorum cooperantibus. 443
TIT. XVIII.	De statu monachorum. 447
TIT. XIX.	De monialibus. 450
TIT. XX.	De magistris. 455
TIT. XXI.	De Seminarii alumnis. 460
TIT. XXII.	De Sacerdotum sanctitate 464
TIT. XXIII.	De vita et honestate clericorum 467
TIT. XXIV.	De cohabitatione clericorum et mulierum 474
TIT. XXV.	De clericorum scientia 475
TIT. XXVI.	De privilegiis clericorum 479

P A R S T E R T I A.

De rebus sacris et rei sacræ adnexis.

TITULUS I.	De Sacramentis in genere. 485
TIT. II.	De Baptismo et ejus effectu 490
TIT. III.	De chrismatis sacramento. 495
TIT. IV.	De custodia Eucharistiæ. 499
TIT. V.	De Eucharistiæ sumptione. 203
TIT. VI.	De celebratione Missarum. 209
TIT. VII.	De pœnitentiis et remissionibus 244
TIT. VIII.	De sacra unctione extrema 249

	<u>Pag.</u>
TIT. IX.	De temporibus ordinationum. 223
TIT. X.	De ætate et qualitate præficiendorum. 226
TIT. XI.	De sponsalibus et matrimoniis. 230
TIT. XII.	De Matrimonii impedimentis. 233
TIT. XIII.	De clandestina desponsatione 237
TIT. XIV.	De divortiis 244
TIT. XV.	De matrimonio civili dicto. 244
TIT. XVI.	De Indulgentiis 248
TIT. XVII.	De sacramentalibus. 251
TIT. XVIII.	De ecclesiis ædificandis vel reparandis 254
TIT. XIX.	De immunitate ecclesiarum 257
TIT. XX.	De bonis Ecclesiæ 261
TIT. XXI.	De sepulturis 264

PARS QUARTA.

De pietate.

TITULUS I.	De Sanctissimo Sacramento venerationi populi exponendo. 268
TIT. II.	De Cordis Jesu cultu propagando. 272
TIT. III.	De Beata Maria a fidelibus honoranda. 275
TIT. IV.	De devotione erga Angelos. 279
TIT. V.	De sanctorum invocatione et cultu 281
TIT. VI.	De reliquiis sanctorum 284
TIT. VII.	De sacris imaginibus 287
TIT. VIII.	De precibus pro defunctis. 290
TIT. IX.	De processionibus 295
TIT. X.	De cantu in Ecclesia 299
TIT. XI.	De tertio franciscanorum ordine. 303
TIT. XII.	De piis sodalitiis. 307
TIT. XIII.	De domestica educatione. 311
TIT. XIV.	De obedientia 314

	<u>Pag.</u>
TIT. XV. De subditione potestati civili.	317
TIT. XVI. De catholicorum unione.	320
TIT. XVII. De caritate.	323
TIT. XVIII. De feriis	327
TIT. XIX. De observatione jejuniorum	331
TIT. XX. De usuris.	334
TIT. XXI. De adulteriis.	337
TIT. XXII. De crimine falsi	340
TIT. XXIII. De periculosis aut illicitis oblectationibus	343

Decreta prævia in prima sessione.

DECRETUM I. De Concilio aperiendo.	346
DECR. II. De fidei professione emittenda	347
DECR. III. De Concilii Tridentini admissione.	347
DECR. IV. De secreto servando	348
DECR. V. De iudicibus excusationum et querelarum	348
DECR. VI. De modo vivendi in Concilio.	349
DECR. VII. De præiudicio non afferendo.	350
DECR. VIII. De non discedendo	350
DECR. IX. De Concilii officialibus	351

Decreta postrema.

DECRETUM I. De Iudicibus Synodalibus.	355
DECR. II. De Testibus Synodalibus.	357
DECR. III. De Concilii decretis Apostolicæ Sedis cor- rectioni subijciendis.	359
DECR. IV. De Concilii decretorum promulgatione .	359
DECR. V. De decretorum interpretatione.	360
DECR. VI. De indictione futuri Concilii.	360
DECR. VII. De finienda Synodo.	360

Decretis præcedentibus addenda.

					<u>Pag.</u>	
Ad articulum	5,	tituli 1,	partis 1,	paginae	44	364
— art.	4, 5 et 6,	tit. xi,	—	pag.	43	id.
— art.	5,	tit. xix,	—	pag.	70	390
— art.	4,	tit. xx,	—	pag.	72	id.
— art.	5,	—	—	pag.	73	393
— art.	6,	—	—	pag.	»	396
— art.	2,	tit. vi,	part. ii,	pag.	95	397
— art.	3,	tit. ix,	—	pag.	103	id.
— art.	4,	tit. x,	—	pag.	113	id.
— art.	6,	tit. xi,	—	pag.	118	398
— art.	10,	tit. xii,	—	pag.	124	399
— art.	4,	tit. xiv,	—	pag.	132	399
— art.	4,	tit. xv,	—	pag.	135	id.
— art.	3,	tit. ii,	part. iii,	pag.	191	400
— art.	3,	tit. viii,	—	pag.	220	id.
— art.	8,	tit. xii,	—	pag.	236	401
— art.	1,	tit. xvii,	—	pag.	251	404
— art.	8,	tit. xviii,	—	pag.	256	405
— art.	4,	tit. xxi,	—	pag.	265	408
— art.	6,	—	—	pag.	266	409
§ Propter,		tit. ii,	part. iv,	pag.	272	id.
— art.	4 - 6,	tit. x,	—	pag.	299	411
— art.	1,	tit. xii,	—	pag.	307	id.
— art.	2,	tit. xviii,	—	pag.	308	id.


Apostolica revisio atque promulgatio Concilii.

Litteræ quibus Concilii Provincialis Burgensis Acta et Decreta Apostolicæ Sedis examini et recognitioni a Rmis. Metropolitana ac Suffraganeis fuerunt subjecta.	413
Litteræ quibus Emmus. Card. S. C. C. Præfectus Synodi Provincialis Acta et Decreta reddit ab eadem S. C. revisa.	415
Litteræ publicationis Concilii Provinciæ Burgensis. . .	416
Errata corrigenda.	421
Index.	423

11.000







ACTA ET DECRETA

PRIMI

CONCILII

PROVINCIALIS

BURGENSIS

G-10669